

ONALE
VITT. EMANUELE
12
A
1







ANIMADVERSIONES HISTORICO-CRITICÆ

IN

PHILOSOPHIAM

Naturalem, Trans-Naturalem, & sanum usum Philosophiæ

Idiomate olim Gallico

à R. P. RENATO RAPINO S. J.

editæ, nunc Latino donatæ,

ET HONORIBUS

Reverendissimorum, Illustrissimorum, Admodùm Reverendorum ac Perillustrium

DOMINORUM, DOMINORUM

DUM

In Antiquissima, ac Celeberrima

UNIVERSITATE VIENNENSI

Promotore

R. P. MICHAELE

BONBARDI è Soc. JESU

AA. LL. & Philosophiæ Doctore, ejusdémque Professore Emerito, nec non p. t. Seniore, ac Consistoriali

Supremâ AA. LL. & Philosophiæ Laureâ insignirentur

à

NEO-DOCTORIBUS COLLEGIS

dicatæ

Annò à parta salute M. DCC. XVIII. Mense Julio, die

Reverendißimis, Illuſtrißimis,
Admodùm
Reverendis, ac Perilluſtribus

DOMINIS, DOMINIS

Illuſtriſſimo D. FRANCISCO ADAMO S. R. I. Comiti â GODER, Sac. Cæſ. Majeſt. Eleonoræ Imperatricis Viduæ Ephebo.

Illuſtriſſimo D. FERDINANDO GUILIELMO CLEMENTI, S. R. I. Comiti de KORNFEIL, S. C. M. Amaliæ Imperatricis Viduæ Ephebo.

Reverendiſſimo ac Illuſtriſſimo D. Comiti NICOLAO JOSEPHO CSAKY de RERESZTSZEGH, perpetuo terræ Scepuſienſis, Abbati B. M. V. de Scepuſio, ex Collegio Pazmaniano.


Illuſtriſſimo D. FRANCISCO RAYMUNDO MARCH., & S. R. I. Comiti de MONTECUCCOLI, Auſtriaco Viennenſi.

Admodùm Reverendo ac Perilluſtri D. ANTONIO JOSEPHO de HACK, Ungariæ Equiti ac Provinciali, nec non Exemptæ ac liberæ Albæ-Regalenſis Præpoſituræ Cânonico, Auſtriaco Viennenſi.

Illu-

Reverendiſsimi, Illuſtriſsimi, admodùm Reverendi, ac Perilluſtres

DOMINI, DOMINI NEO-DOCTORES.



ITerum Munus à nobis, quo & honorem illuſtrare veſtrum, & diem hunc jucundiſſimum, & vobis verè proprium ornare contendimus. Exiguum quidem ac pæne vile, ſi molem, ſi pretium ſpectetis; ſin rem verò ipſam, & operis argumentum, verè maximum. Didiciſtis hactenus bellè, ſcitéque Philoſophandi rationem, & animos ſummâ rerum altiſſimarum ſcientiâ excoluiſtis. Felices igitur, ſi excoluiſſe non contenti, in ſuccum etiam, atque ſanguinem, quod didiciſtis, convertatis. Nam ſicut floribus alii ad odorem & adſpectum utuntur tantùm, apes verò etiam ad mellificium: ſic ſedulæ vos mentes debetis in fructum atque uſum traducere ſtudia hæc litterarum. Quem in finem offerre Vobis placuit Animadverſiones Hiſtorico-Criticas in omnem Philoſophiam, cujus partem decurſo jamjam anno videratis, Patris Rapini, viri neque ſilendi ſanè, neque memorandi ſine cura; qui acri,

ſané-

ſanóque in omnia judicio, & de omni elegantiori litteratura optimè meritus, de quo jure optimo repetere id poſſes:

Η' σέ γε μῦς' ἐδίδαξε Διὸς παῖς, ἤ σέ γ' Ἀπόλλων.

Vel Te Muſa, Jovis proles, docuit, vel
Apollo.

Adeò eleganter ille, eruditéque de omni Philoſophia, Rationali & Morali; Naturali, & Trans-Naturali; de Veterum juxtà ac noſtrorum temporum Philoſophorum placitis diſputavit. Tum eo maximè ingentem ſibi famam, celebritatémque confecit, quòd non ſolidè minùs, atque ſapienter diſceptaverit, quî Philoſophia ad tutandam, defendendam, propagandámque Religionem noſtram ſit utendum: Quo ecquid opportunius, ecquid ad hanc Veſtram hujus loci, ac diei celebritatem adferri poterit accomodatius? non video. Benignè igitur admittite hoc, quidquid eſt noſtrum, quo læti ipſi, jucundiqueornamento huic Veſtro adplaudimus, atque plenis buccis vetus illud, feliciter! feliciter! conclamamus: hoc unicè optantes, ut eam ipſam Philoſophiam, quam hactenus pronis hauſiſtis animis, quæ in hoc, quo ſuper cæterum Philoſophorum vulgus eminetis, Dignitatis faſtigium vos nòn tam promovit, quàm extulit, Veſtris exemplis, Veſtróq; uſu commendetis, ut mundus intelligat tandem, adeò eam non eſſe inanem, atque exſuccam, ut etiam ſit utiliſſima.

Honoris Veſtri, ac Dignitatis

Studioſiſſimi

Philoſophi Condiſcipuli.



ANIMADVERSIONES
IN
PHYSICAM.
CAPUT I.
Physica maximè omnium ignoratur.



Atis assequor, quî Logicæ, Ethicæque principia stabiliri ab homine queant; cùm tam mores, quàm ratiocinatio, queîs formandis memoratæ scientiæ inserviunt, humana sint opera: quî autem Physicæ quóque axiomata, certásque notiones determinare is ausit, ut quæ naturam, DEI solius molitionem spectat, percipere nequaquam valeo. Equidem investigabiles esse oportet conditoris vias, quando nobis frequenter lux deficit, qua rerum conditarum fines, consiliáque scrutemur. An fors nostrûm aliquis sententiam rogatus est, cùm DEUS in äere terræ fundamenta jecit, quibus moles universa incumberet? (a). An unus aliquis è Philosophis tam perspicacis erat aciei, ut æternæ, cunctáque præcedentis sapientiæ abyssum subiens, quoúsque arcana ejusdem cogitatio pertingeret,

A

(a) Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentiam. *Job. c. 38.* Nunquid tu primus homo, & ante colles formatus? *Job. c. 15.*

geret, exploratum haberet ? (a). Mundum divus Auguſtinus grande quoddam ſpectaculum dixit, in quo ſummi artificis induſtria undique reluceret (b): ſed veriùs ænigma appellâſſet, quod Philoſophi omnes irritô ſemper conatu explicare ſtuduerint. Ut enim ingenia non defuerint ſagacia, quæ cauſas rimando ad quoſdam naturæ effectus penetrarent; nemo tamen ullus ſatis acutus hactenus fuit, qui Numinis conſilia, & arcanas ejus potentiæ machinationes perviderit, ut inde principia tanti operis definiret (c). Et verò ſi leviora quæque ſenſibus obvia, quibus veſtigandis ætatem conterimus, vix, aut ne vix quidem cognitione complectimur; ſi plantæ quantumvis viliſſimæ virtutibus polleant, quas neutiquam perſpicimus: adeonè dementes erimus, ut vim grandis hujus machinæ cognoſcere, ac ad radicem uſque prodigiorum, quæ vehementer ſtupemus, ſubire confidamus ? Ne ſe quis palpet: Naturæ ſua ſunt myſteria; ad terminos ſibi ſtatutos ſecretis inſiſtit viis (d). Dum his ſcrutandis intellectus intendit, adeò certi nihil aſſequitur, ut retundendo mortalium faſtui haud aliud videatur opportunius, atque Phyſicæ ſtudium.. Scientia nimirùm abſtruſa eſt, atque profunda; vix de aliquo convenit inter ejuſdem cultores, & qui omnium optimè videbantur locuti, nihil adhuc rationi ſatis congruum deprompſerunt. Itáque mentem in novis cudendis ſyſtematibus non laſſemus. Cùm tot tantáque ingenia præceſſerint, ſi quid meliùs erui potuiſ-

(a) Sapientiam DEI præcedentem omnia quis inveſtigavit ? *Eccli. c. 1.* (b) *Confeſſ. l. 10. c. 6.* (c) Nunquid noſti ſemitas nubium ? *Job. c.37.* Nunquid noſti ordinem cœli ? nunquid ingreſſus es profunda maris ? theſauros nivis & grandinis aſpexiſti ? per quam viam ſpargitur lux ? Quis dedit imbri curſum & viam ſonantis tonitrui ? *cap. 38.* (d) Naturæ arcana non promiſcuè nec omnibus patent: in interiore ſacrario clauſa ſunt; ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos ſubit, aſpiciet. *Sen. quaſt. nat. lib. 7.*

potuissent, ac hactenus scire licuerit, utique detexissent. Postquam summo in id studio frustra incubuêre, prudentia dictabit cogitationes haud ultrò defigere; sed abyssum duntaxat divinæ scientiæ cum humili propriæ cæcitatis fassione identidem admirari (a). Haud est abs re, quòd nihil hominis animum tantopere afficiat, quàm naturæ effectuúmque naturalium speculatio (b). *Felix qui potuit rerum cognoscere causas* (c): verùm naturæ non nisi corticem intuemur, & omnis cognitio, quam plurium annorum curriculò comparamus, superficietenus hæret, permittente sic DEO, ut inclinationem animi, ceu tortorem secuti exerraremus in cogitationibus, itáque supercilium poneremus. Cùm enim desiderio agimur cuncta noscendi, eo denique recidimus, ut cuncta, quin & nos ipsos ignoremus.

CAPUT II.

In Physica vix quidquam certi fas est statuere.

At quantum hæc scientia sive propter obscuritatem, sive propter incertitudinem rerum, de quibus pertractat, vanitatis habet; tantundem futilis redditur ob sententiarum diversitatem, in quas summi alioquin viri, qui eidem ani-

(a) Peccari ab Aristotele, & ab aliis, cum in natura scrutantur, quæ occultaverit ipsa natura, hoc est, divina voluntas, quæ est ipsa natura, ùt inquit Augustinus. *Possevin. Bibliothec. lib. 13. c. 20.* (b) Est animatum, ingeniorúmque naturale quoddam quasi pabulum consideratio naturæ. *Cic. lib. 4. quæst. Acad.* (c) *Virgil. in Georg.*

mum addixêre, ſecedunt (a). Etenim antiquior Philoſophia vix ullum ſtabilire potuit axioma, quod tutò reciperes. Thales aquam rerum ſtatuebat principium; Heraclitus ignem; Anaximenes aërem; Pythagoras numeros (b); Democritus atomos; Muſæus unitatem; Parmenides infinitum: ut in tanta naturalium cauſarum varietate, tot inter opiniones è diametro oppoſitas, de cunctis meritò ambigas. Protagoras credidit, quod verum videretur, id re ipſa verum eſſe (c). Ariſtippus nihil cenſebat eſſe judicii, niſi cui interior ſpiritûs motio ſuffragaretur (d). Chryſippus ſenſus perpetuò fallaces criminatus eſt: Lucretius fidos ſemper duces eſſe contendit. Picus Mirandulanus in ſuo doctrinæ Paganorum examine; Ludovicus Vives in libro de artium corruptela; Poſſevinus lib. 3. Bibliothecæ multis incertitudinem humani judicii exaggerant. Et veró nihil adeò firmum, quod in controverſiam revocari nequeat (e). Ut enim de rebus omnibus minimè ſit dubitandum: attamen nimis facilem eſſe haud decet ad habendam iis Philoſophis fidem, qui nova indies Phyſicæ principia nobis obtrudunt. Expendenda ſunt, antequam probentur: veritas ab illo, quod veri duntaxat ſpeciem hujusmodi in poſitionibus præſefert, cautè ſecernenda, quin conjecturis quibuſvis mox occupemur. Nulli ſuffragium detur ſyſtemati, niſi eo pacto, quo ſuas

Pto-

(a) In tanta obſcuritate naturæ, diſſenſionibus tantis ſummorum virorum, qui de rebus contrariis tantopere diſcrepant, aſſentior ei ſententiæ nihil percipi poſſe *Cic. quæſt. Acad. lib. 4.* (b) Pythagoræi ex numeris proficiſci volunt omnia *ibidem.* (c) Aliud judicium Protagoræ, qui putet id verum eſſe, quod cuique verum videretur. *ibidem.* (d) Præter permotiones intimas Ariſtippus nihil putat eſſe judicii. *ibidem.* (e) Singula improvidam mortalitatem involvunt, ut inter iſta certum ſit, nihil eſſe certi, nec miſerius quidquam homine, nec ſuperbius. *Plin. lib. 2. c. 7.*

Ptolemæus hypotheses prompsit (a) : nimirum ut opinionis tantum titulo gaudeat, non item articuli, dum rationes, quibus innititur, constabiliantur. Et sanè ridiculum est, illa in materia modestè non loqui, cujus vix aliquid scias. Ipse Lucretius, quantumvis in censendis naturæ effectibus alioquin præsumptuosus, disertè fatetur, se principia ignorare (b). Hoc ergo universim obtineat, primos Physicæ studiosos suis in principiis conjecturas tantùm suggessisse, quòd natura propiùs vix patescat alicui. Etenim licet ex aspectabilibus effectibus ad invisibilem quóque virtutem rectè arguatur; nemini tamen oculus adeò fuit perspicax, ut ad radicem inspiceret, consiliorúmque omnium fontem pervideret (c). Quare principia à Physicis suggesta non ut leges ab ipsis præscriptas, sed tanquam expositionem, super naturæ effectibus, promi possibilem, respiciamus. Et numeros Pythagoræ; & atomos Democriti; & plenum vacuúmque Leucippi; & ideas Platonis; & materiam, formámque Aristotelis; & vortices, particulásque Cartesii, quæ sapientes hi viri pro principiis posuêre, conjecturas exanimi porrò subjectas, non regulas, quibus insistendum sit; arbitremur. Aures illis accommodemus lubentiùs, qui universim rationes reddunt firmiores; quoniam facundiâ pollent, qua ideas animo conceptas uberiùs edisserant. Sed nec affingendo ipsis, quasi scire se dixissent, quæ opinabantur; aut pro veritate venditassent, quod veri duntaxat speciem præsefert, stultos habeamus. Præcautio hæc adeò necessaria, ut satis animo figi nequeat ad iter carpendum per semitas tam implexas, ac Philosophia naturalis designet. Uti enim norma erronea structuram ædificii

(a) Ptolemæus noluit suis hypothesibus fidem adhiberi *Possev. Bib. lib. 13 c. 7.* (b) Nam quamvis rerum ignorem primordia quæ sint. *Lucret. Lib. 2.* (c) Quis hominum potest scire consilium DEI, cogitare quid velit? *Sap. c. 9.*

ficii detorquet; ita fallibile principium totam Physicæ molitionem infirmam reddit, ac labilem.



CAPUT III.

Primus erat Aristoteles, qui aliquod Physicæ Lumen affudit.

QUid igitur sentiendum rebus adeò incertis? quis Dux viæ tot sentibus implicitæ optabitur? Plutarchus secundo opusculorum suorum volumine varias veterum Philosophorum de Physica opiniones numero satis magno recenset; quod ipsum Cicero in Academicis fecerat (a). Utérque demum Aristoteli patrocinatur; Aristotelem ut cuncta expenderunt, ambo reliquis anteponunt. Eodem in consilio sequacem nacti sunt Galienum; quin omnes, quos solidior subinde cogitatio occupavit. En vel ex hoc grandia pro Aristotele suffragia! quid enim Philosopho accidere poterat gloriosius? quid optabilius, quàm calculum referre à tantis viris, quorum singulos & ingenii severitas & sententiæ æquitas plurimùm comendavit? Hæc de Aristotele opinio suas in partes inflexit, quot quot exactis temporibus aciem viri, profundásque meditationes explorare conati sunt. Divus Hieronymus ingenium hujus Philosophi inter naturæ prodigia commemorat, ut qui cognoverit, quod cognôsse homines possent (b). Medina magni nominis Theologus natione Hispanus humanum intellectum in naturæ vestigatione eò nunquam perventurum contendit, quò Aristoteles pertigit; nisi bonum aut malum genium sibi

(a) Nostrâ Physicâ tu nôsti, quæ continentur ex effectione & ex materia ea, quam fingit, & format affectio. *Cic. lib. 1. quæst. Acad.* (b) *Hier. in Epist.*

ſibi peculiariter aſſiſtentem habuerit (a). Et verò præterquam quod is ſive probandi, ſive improbandi gratiâ univerſa perſtringat, quæ in Phyſicis ante ſe dicta eſſent; nihil quóque poſteriùs hac in diſciplina, quod rationem, eruditionémq; ſaperet, promi audivimus, quod non ipſe antea excuſſiſſet; cujus principia non innuiſſet. Ut autem in fonte à paucis legitur; lectus etiam à nonnullis minùs percipitur, frequenter reperies, qui rejiciant, quæ ille amplectitur, aut contra, quæ ille rejicit, amplectantur. Hinc ejus aſſeclæ in tam diverſa abeunt, utque ſuas hypotheſes ſtabiliant, Ariſtotelem nequicquam renitentem, eò demum inflectunt, quò ipſi ſeceſſerint. Nec mirum, ſi poſtmodum exerrare contingat, quando Dux ipſe in avia declinavit.

CAPUT IV.

De Methodo & principiis Ariſtotelis.

SEd ne ad tanti fulgorem nominis, quo Stagyrita noſter inclaruit, continuò perſtringamur. Neque exactorum voces ſæculorum; néque ſapientum in ejus ſententiam concedentium ſuffragia nobis aures obtundant. Ariſtotelem ex ipſo Ariſtotele exiſtimemus: inſpiciamus methodum, qua naturalem coluit diſciplinam, illum nempe ſcopulum, ad quem ferè reliqui ſunt alliſi; utque ſententiam feramus æquiorem, præjudiciis procul amandatis, doctrinam ad ipſa principia metiamur. Nam ut ingenio pollebat minimè vulgari, ita ſemitas ingreſſus eſt ſingulares. Orditur tanquam hiſtoricus & Prædeceſſorum placita per ordinem recitat. Scilicet ad imbuendum magis animum, tum ne quid edi-

A 4

(a) *Medina in de Thom. lib. 2. quæſt. 109. art. 1.*

ediceret, cujus intimam non exhausisset notitiam, scire intererat, quid alii censuissent; contráque ac Plato, qui cunctos nôsse voluit sapientes, atque in eum finem Ægyptum, Persiam, Italiámque lustravit, eorundem auditiones ipse obiturus; Aristoteles suo clausus musæo singulorum scripta, lucubrationésque excussit, ut ita opiniones suas firmaret solidiùs, dum omnibus expensis argumenta diluisset contraria, & quæ sibi faverent, solerter collegisset. Ecce præcipuam Aristotelis methodum! nihil asserit, de quo post accuratam sententiarum ab antiquioribus statutarum cognitionem obfirmatus non fuerit. In libris Physicorum Epitomen texuit placitorum Pythagoræ, Ocelli, Timæi, Leucippi, Parmenidis, Hippocratis, Melissi, Democriti, aliorúmque prædecessorum, ut haud abs ratione diceres, quòd non tam proprias stabilire conatus sit opiniones, quàm alienas refellere. Hoc sanè Josephi Scaligeri judicium erat, qui ejusdem lucubrationes diligenter pervolvit. Potior Philosophorum pars pro lubitu sensit, solus Aristoteles argumentum profundiùs investigans, quid quid suis positionibus adversaretur, subruit, nec adeò in partem ullam deflexit, quin è medio, quod offendiculo esse poterat, omninò sustulisset. Hæc singularis erat viri prudentia; hæc methodus, cujus ope postmodum principia constituit. Ut enim Parmenidis, ac Melissi de principio immobili, atque infinito sententias confutavit; ut absurdas consecutiones ob oculos posuit, quæ ex Democriti, Empedoclis, Anaxagoræ, aliorúmque systematis eruerentur, suam denique de tribus principiis, materia nimirum, forma, & privatione promsit hypothesim, ceu convenientissimam, qua mutationum phænomena declararentur, utpote in quibus continuò se prodit & pars recipiens, & pars recepta sive subjectum commune tam formæ deperditæ,

ditæ, quàm acquisitæ: quòd quidem adeò veritati congruit, ut rerum productiones aliter intelligi nequeant. Plato, qui eadem cum Aristotele principia adstruxerat, materiam videlicet ac formam, inter materiam & privationem nequaquam distinxit. Aristoteles eam distinctionem primus invexit. De hac tanquam insigniori suo opere plnries gloriatur (a). Hinc non veretur edicere (b). Errores veterum maximam partem ex eo dimanâsse, quòd distinctam materiæ, ac privationis ideam minimè procurâssent. Porrò quod formam appellat aliud haud est, quàm radix proprietatum, accidentium, & operationum sensibilium cujúsque compositi, quæ res universas constituat, & ad certam entium speciem determinet. Hic igitur principiorum ternarius velut aptissima ad formandam omnis mutationis ideam, & ad cognitionem naturæ facillima hypothesis, meritò reliquis Philosophorum principiis antefertur. In hoc totius Physicæ generalis cardinem Aristoteles fixit.



CAPUT V.

Physicæ Aristotelicæ secundum librorum partitionem Epitome.

Librô primô Acroamaticorum methodum suo in opere susceptam exponit; utque naturæ cognitio tenebris obtegitur, à notionibus alioquin perspicuis, & evidentibus, veluti per totidem gradus ad vestigandas res magis sepositas, minúsque cognitas animum evehit; tum ex principiis generalibus singulares elicit consecutiones; ut adeo

 cun-

(a) *Ex Carp. Praef. in Alchinoum.* (b) *In ultimis lib. primo Physicorum capit.*

cuncta patescant, & sensibilia fiant, dum hypothesibus suis, & propriis integumentis convestiuntur. Postquam hanc methodum constituit, reliquum libri in confutandis aliorum Philosophorum placitis absolvit, ut ita suam denique confirmet sententiam. Librô secundô, quid natura sit? quæ hujus vocis potestas, veráque notio? diligenter expendit: tum hoc ipsó in opere, & sequentibus quatuor, motuum localium causas, tanquam corporis naturalis attributa inquirit. Libro sexto quantitatem admodùm accuratè pertractat. Septimô ideam Primi Motoris mentibus ingerit. Octavô de tempore, quod naturalis motuum quorumcúnque mensura est, philosophatur. Librô primô & secundô de Cælo astra & materiam, unde formata sunt, describit; qualitates præterea, Motus, situm, figuram eorundem, & quid quid demum mundi hujus compagem spectat. Librô tertiô & quartô de Gravitate ac Levitate corporum cælestium differit; uti & de veterum hac super re diversissimis opinionibus; de Elementis, & illorum proprietatibus. Librô primô Meteororum phænomena aërea; secundô & tertiô terrestria & aquea, ventos nimirum, tonitrua, fulmina, fulgetra, exhalationes, Parhelia exponit: quartô frigus & calorem, siccitatem & humorem, putrefactionem, sales, diversas mixtorum proprietates, eorúmque temperiem, ac mixtionem declarat. Libris tribus de Anima ipsius naturam, operationes, sensus tum externos, tum internos examinat. In Libris, qui *Parva naturalia* inscribuntur, singillatim docet, quid quid sensationes, memoriam, reminiscentiam, somnum, vigiliam, somnia, somniorum præsagia, motus animalium & præcipuè incessum, vitæ longitudinem, ac brevitatem, senectutem, juventam, famam, morbos & sanitatem attinet. Historia animalium princeps est, & omnium absolutissimus totius

tius Aristotelicæ Physicæ tractatus (a): primis quatuor libris diversas animantium species; quinis postremis variam ipsorum genesim perstringit. Porrò totum opus experimentis innumeris & quæstionibus admodum eruditis locupletavit; quibus rectè inspectis, illicò prima se offerunt semina plurium assertionum recens invectarum, de quibus hodie Philosophia gloriatur. Prætereo librum de coloribus; tractatum de Physiognomia; quæstiones mechanicas; libros de plantis; geminos de ortu, & interitu; alium de mundo, quem Alexandro conscripsit, pluresque, quibus rerum causas, à maximis ad usque minimas digressus, reddere contendit, uti dudum Diogenes Laërtius annotavit; itàque fateri ultrò compellor, Aristotelis Physicam omnium, quæ unquam prodiverint, uberrimam esse, nihilque vastissimo ejus animo excidisse, cujus profunda meditatio res quasvis secundùm ingenii amplitudinem est complexa (b)



CAPUT VI.

In quibus Aristotelis Physica delinguere videatur.

Quid in favorem Physicæ Aristotelis dici queat attuli, nunc quid in illa redargui posse videatur, dispiciamus. Octavus Acroamaticorum liber ordinem requirit meliorem; contextu & consecutionibus constat ferè violentis; haud aliud captu difficilius, ac materia prima, & formarum ex ipsa eductio: motus localis universim abstractè nimis

(a) Persecutus est Aristoteles animantium omnium ortus, victus, figuras *Cic. lib. 5. de fin* (b) Naturam à Peripateticis sic investigatam, ut nulla pars Cœlo, terra, marique prætermissa sit. *Ibidem.*

mìs expenditur : quod de motûs æternitate libro octavô probare nititur, ob argumenti circulationem satìs percipi nequit ; totúsque is liber Metaphysicam admodùm redolet. Temporis, Locíque pertractationem purè physicam nemo dixerit ; siquidem etiam spiritibus congruit. Quod de Tempore differit, ab Archyta mutuatus est ; & rursum quid quid de motu agglomerat, ab Ocello ; quid quid de Vacuo statuit, ex Tymæo, si Patritio credimus (a) deprompsit. Quæ primis duobus libris de Cœlo ; in Tractatu de cometis, iride, aliísque Meteorologicis impressionibus persequitur, minùs veritati consentiunt, si secundùm omnes circumstantias expendantur. Quartum nihilominùs librum jure exceperis, quem reliquis exactiùs conscripsit ; Locus, quem librô tertiô de Cœlo sub lunæ concavo ex Leucippi, & Democriti sententia sphæræ ignis attribuit, nullo solido nititur fundamento ; nec Pythagoras ejus opinionis est auctor. Libro secundo Meteororum evincere laborat terraquam non esse habitabilem sub Æquatore, quod manifestè falsum comperimus. Quæ verò de mundi æternitate tradit, ut ut erronea sint, præ cæteris excusationem admittunt. Nimirum conditorem universi non alia sub luce agnovit, atque nos solem intueamur ; qui eodem mox temporis puncto, quo horizontem attingit, lumen diffundit. Quin adversus Arianorum errorem inde magnum est præjudicium ; quoniam Verbi generationem intelligere non poterant, nisi posterius suo principio poneretur : ut adeò Aristotelis exerratio ipsos in viam reducere debuerit, ac prohibere, ne in avia declinarent, si pagani hujus, tametsi in transversum acti, ratiocinationibus aures accommodabant. Patritius Philosophus Venetus in libro Disquisitionum Peripateticarum ; Ramus in Scholis Physic. Gas-

(a) *Parte secunda, Disqu. Peripat. lib. 6.*

Gaſſendus in ſuis contra Peripateticos animadverſionibus magnum ſententiarum numerum congerunt, in quibus Ariſtoteles peccârit; præcipuè quoad ordinem, & conſtructionem cœleſtium corporum; in animalium hiſtoria, in hominis anatome; & horum ſimilibus: haud diffiteor, quod præſentis ævi Phyſica experimentis & plurium inſtrumentorum, quibus utitur, apparatu ita inſtructa ſit, ut quibusdam in rebus, quæ lapſu temporis magis innotuerunt, Ariſtotelicam antecellat: inſuper, quòd veterum Philoſophorum conjecturæ de Cœlis, & Syderibus, quarum Plutarchus tomo ſecundo meminit, maximam partem erroneæ fuerint deprehenſæ poſt inſtrumenta ultimis hiſce ſæculis fabricata, quibus cœleſtia obſervamus. Denique in eam concedo ſententiam, Ariſtotelem minùs demonſtrâſſe in Phyſica, atque in aliis Philoſophiæ partibus, nec methodum in diſciplinæ hujus tractatione adeò accuratam; nec arguendi vim adeò firmam exiſtere. Sed vitium iſtud non tam Authori, quàm operis ſubſtrato adſcribi debet. Ille enim ſibi nunquam non ſimilis ratiocinationes ſuas, atque obſervationes eodem ſemper tenore inſtruit: & ratio, quantumvis à ſingularibus abſtineat protegendis, fines ſuos habet, ac limites; ultra quos, ſi vel modicum excurras, quin longiùs aberres, vix caveris.



CAPUT VII.

De Antiquorum in Phyſica Placitis judicium.

Quid de reliquis omnibus ſive antiquis, ſive recentioribus, qui Phyſicam coluêre, Philoſophis ſit ſtatuendum, paucis accipe. Ægy-

ptii hac super disciplina nihil elucubrârunt, cujus vestigium superesset, præter suas Cœli Astrorúmque observationes: Etenim cœlestia corpora præ cæteris nationibus pernovêre; quod iis peculiarem impenderint operam animis ad præsagia comparatis. Simplicius (a) ait Callisthenem precibus Aristotelis sibi sanguine juncti adductum, misisse in Græciam observationes, jam bis mille circiter ante Alexandrum annis, à Chaldæis institutas: quas deinde Porphyrius à se visas testatur. (b) Quod Phænicii & Æthiopici de Physica tradidêre, amissum est cum Diodori Siculi libris, quorum à quinto usque ad undecimum reliqui desiderantur. Græci demùm, qui aliis in disciplinis Magistratum gesserant, néque in hac inferiores, & meliùs & uberiùs scripsêre, quàm cæteri (c), ut non immeritò primi naturæ scrutatores censeantur. Equidem Plutarchus in vita Nitiæ inquit, Anaxagoram, successorésque Joniæ illa ætate Philosophos non nisi Physicam professos fuisse. Assyrii, si verè loquamur, præter prima Astronomiæ elementa nihil noverunt: nempè observationibus minimè accuratis nitebantur; quippe instrumentis destituti: nec ad explorandum astrorum motum aliam adhibebant mensuram ac clepsydram. Inter Græcos Pythagoras & Ocellus, Archytas & Tymæus eorundem discipuli, Hippocrates, Leucippus, & Democritus naturam speculati sunt diligentiùs, præque cæteris de illa sapientiùs pronuntiarunt. Democritus videtur unus ex melioribus, qui unquam floruerint Physiologis: idcircò multis ab Aulo Gellio elogiis ornatus (d). Empedocles metris illi gavit

(a) *Simp. Com. 16. in L. 2. de Cælo. Arist.* (b) *Ex Joseph. Scalig. epist. ad Rhodom.* (c) Amicos in quibus est studium, ad Græciam mitto, ad Græcos ire judeo, ut ea è fontibus potiùs hauriant, quàm rivos consectentur. *Cic. L. 1. Acad.* (d) Nobilissimus Philosophorum Democritus, vir præter alios venerandus, authoritate antiqua præditus. *Aul. Gell. L. 10. c. 12.*

gavit Physicam, juxta principia Pythagoræ, quem Lucretius, tanquam prodigium fuisset, extollit, ipséque Aristoteles & Diogenes Laërtius commemorant. Plato vix aliquid de hac Philosophiæ parte docuit, quod à Pythagoricis non hausisset (a). Democritus & ante & post Aristotelem sequaces nactus est multos; quin nostrâ ætate potiorem Recentiorum etiam spectabiliorum catervam suas in partes pertraxit: Scilicet ex atomorum principiis sensibiliùs, magísque ad captum exponi posse videntur naturæ phænomena, quam ex Aristotelis de materia, forma, & privatione hypóthesi. Verùm doctrina hæc, præterquam, quod fabricam sine Architecto, seu malis artefactum sine artifice moliatur, ferè Leucippi dogmatibus insistit, támque absurdas infert consecutiones, si funditùs exploretur, ut ægrè se expediverit, cujus animum semel occupârit. Socrates, cùm observâsset, hanc Philosophiæ partem à Sophistis, nescio quibus cavillationibus, corruptam esse, Ethicæ se totum addixit. Quare frequenter ex aliorum sensu loquitur, dum apud Platonem de rebus naturalibus disserit. Liber Theophrasti de Plantis secundùm Julii Scaligeri testimonium, qui in eum commentarios scripsit, lectissimis adnumerari potest operibus, quæ antiquitas evulgârit. Zeno Stoicorum Pater peculiare nihil in Physicis tradidit, nisi quod aliter atque reliqui, cum quibus sentiret, loqui studuerit (b). Duo statuit principia, Deum & materiam. Insuper animam per cuncta diffusam mundo attribuit, quasi grande quoddam animal esset. Lipsius Epitomen ejus Physicæ non secus, ac doctrinæ moralis contexuit. In Epicuro soliditatem requiras: exer-

(a) Ex materia in se omnia recipiente mundum factum esse censet Plato. *Cic. L. 4. Acad.* (b) Zeno aliter loquebatur atque omnes, sentiebat idem quàm cæteri. *Cic. L. 4. de fin.* Inter Zenonem & Peripateticos nihil interesse, præter verborum novitatem. *Ibid.*

exerrat ubique (a), ut adeo Tullius arbitretur, quod, cùm Democriti vestigiis insisteret, in avia secesserit, quoties diversum ab eo iter instituit. (b). In eum duntaxat finem Physicam docuit, ut animos contra metus, quos religio ingerit obfirmaret (c). Vacuum & atomos pro principiis adstruxit (d). Epicuræi motûs indolem minùs noverunt, quod neque tempus, neque locum, quorum tractatio Metaphysicam sapit, expendere studuissent. Lucretius tamen Epicurum non modò cunctis præfert Philosophis, sed & inter viros, quos orbis quovis tempore suspexerit, eminere asseruit, uti ex Elogiis innotescit, quæ diversis in locis sui Poëmatis eidem attribuit, maximè sub tertii libri initium, ubi tanquam de Numine loquitur. Amaphamius, de quo Cicero meminit, ab Epicuro non dissentit; quin ejus dogmata ferè recitat. Plutarchus allegat librum de natura rebúsque Physicis à Chrysippo concinnatum, quem Phavorinus admodum prædicat. Quod reliquum est Physicarum elucubrationum à Græcis editarum prostat in Laciniis apud Laërtium. Florentiæ quidem opus spondebant authore Rucellajo, quod omnium antiquorum placita hac de scientia complecteretur, & sena super tricena recenseret systemata omninò diversa. Ut autem Italico scribitur idiomate, ac ad duodecimum usque volumen excurrit, ante illius obitum lucem non aspexit; quin imò credibile quod nec deinceps aspiciet, nisi fors seriùs, præcipuè post jacturam, quam litterati in Cardinale Medicæo fecerunt: is enim unus finem tanti operis poterat promovere.

CA-

(a) In Physicis, quibus maximè gloriatur Epicurus, totus alienus est. *Lib. 4. de fin.* (b) Democrito adjecit perpauca mutans, sed ita, ut, quæ corrigere vult, depravare videatur. *Cic. 1. de fin.* (c) Rerum natura cognita superstitione levamur, mortis metu non conturbamur ignoratione rerum, ex qua horribiles existunt formidines *Cic. de Epicur. doctr. L. 1. de fin.* (d) Epicuro duo esse principia, corpus & inane. *Ser. in Lib. 6. Æneid.*

CAPUT VIII.

Judicium de Romanorum in Physica Placitis.

QUanquam Romani animum Physicæ parùm addixerint; proinde hoc in studio Græcis concedere debeant: attamen de ista etiam materia pulchras apud eosdem legere est lucubrationes. Nihil si characterem scribendi spectes, politius inveneris Lucretii in Epicuri Philosophiam poëmate, quod Lambinus Virgilii Epicis quoad dictionis puritatem antehabere non dubitavit; sed nihil quóque moribus damnosius. Cicero, qui Philosóphiâ Græcorum ritè erat imbutus, interque Romanos optimè argumentum istud pertractavit, ita ambiguè loquitur, ut sæpè ignores, in quam sententiam propendeat. Si cuncta bene perpendas, patebit, quod nusquam pedem defigat; semper aliò deflectat; id denique tantummodo elicies, Platonis, Aristotelisque placita ipsi præ reliquis arridere. Seneca libro Naturalium quæstionum didacticâ methodo haud videtur procedere; animadversiones nimium abstractas, remotásque facit, cùm planè, ac simpliciter dicenda esset sententia; mores instruit, cùm naturæ tantùm arcana promere oporteret. Nemo tantum, tamque eleganter de Physica scripsit, atque Plinius: sola operis suscepti idea amplissimi erat consilii, si quod hominis ingenium unquam fatigavit. Polyhistorem agit Naturæ; de cunctis ferè phænomenis judicium, & verò sanum depromit; res quàm plurimas congerit, alioquin ab omnium memoria perituras. Verùm si Sumesium suis in animadversionibus, quas in Plinium scripsit, audiamus, deceptum frequentiùs fatebimur ab illis, à quibus complura historiæ monumenta accepit; devium quóque

que non raró proprio ex errore, dum ampliores sectatur ambages: nimis credulum aliorum dictis; nimis præcipitem in suis proferendis; magisque sæpè numero de dictionis ornatu, quàm de rerum substantia sollicitum, ut adeò etiam de veris, magnô à se studiô comprobatis, dubium lectori ingerat: dum necessitate constrictus aliorum testimoniis fide bonâ adhæsit. Nactus est nihilominùs posterioribus hiscè sæculis, qui ejus patrocinium susciperent, & plurima alioquin controversa, denique post accuratum examen, ceu veritati consentanea tuerentur. Sed arbitror nobis hac in causa Sumesii authoritatem, quàm reliquorum potiorem esse debere, ut qui in Plinium & uberius & sapientius omnibus prædecessoribus commentatus est. Absque hoc ægrè aliquis negaverit, opus Plinii vastius esse, quàm ut ultimam eidem manum admovere potuerit. Ast quidquid de hoc sit, certum videtur lucubrationem illam ex præstantissimis totius antiquitatis unam esse. Plutarchus quoque, Dioscorides, Ælianus & Solinus libris, suo cujúsque ex genio conscriptis, Physicam admodum locupletârunt. Plutarchus Ethicum magis agit, quàm Physicum; Dioscorides Medicum; Ælianus historicum; Solinus Geographum. Gallienus Hippocratis premit vestigia, quem diligenter observaverat; sic tamen, ut multa ex Plinio decerpserit, cujus historiam naturalem indefessè pervolvit. Reliqui sapientes, qui secutis temporibus floruerunt, in duas dirempti sunt sectas, prout nimirum vel Platoni, vel Aristoteli animos mancipârunt, uti patet ex Avicenna & Averroë. In eadem vestigia, dum rerum potirentur, Scholastici subiverunt: Major tamen pars Aristoteli subscripsit, quidquid æmuli opposuissent. Quin Scholæ quantocúnque fastu turgidæ, quem etiam discipulis inspirârunt, suis in placitis adeò erant

Reli-

Religiosi & cauti, ut trecentorum propè annorum spatio nemo docere ausus sit, quod Aristotelis sententiæ repugnaret.



CAPUT IX.


Quid de Recentiorum in Physica placitis sit statuendum?

Recentior Physica sæculo decimo sexto excoli cœpit. Galilæus Florentinus haustâ ex Leucippi hypothesibus ideâ prima ejus lineamenta adumbravit. Cùm enim ingenio acri ac fixo polleret; præterea perfectam Astronomiæ, Geometriæque notitiam comparâsset, meliùs cunctis sive qui præcesserant, sive qui subsecuti sunt, de motu locali, ejúsque regulis, ac proprietatibus disseruit. Is primus omnium, principiis inhærens Aristotelicis, pendulorum proportionem, & motûs gravium in progressu accelerationem ad calculos revocavit. Is Peripateticis magis accessit, atque successores, sic tamen, ut à veteribus placita mutuatus novam admodum speciem exhiberet. Quippe Copernici de mundi systemate, quod innovaverat, sententiam auxit, & ope Telescopiorum plures novas detexit stellas; maculas in sole, montes ac valles in Luna, in Venere diversas Phases, incrementa lucis & decrementa deníque observavit. In cunctis suis dissertationibus vim prodit, ac pondus ex ideà novi, quem commentus est, motûs. Unde grandem sibi apud Italos famam conciliavit, à quibus recentioris Philosophiæ veluti parens est habitus. Baconius naturalis scientiæ amorem in Anglia accendit. Ingenio erat amplo & ad Physicam propenso. Et verò haud minore eandem persecutus est fortunâ, atque

 histo-

historiam; tametsi subinde aliorum hac super re testimoniis fidem nimis facilè adhibuerit. Reliquum ejus Physicæ infirmius est: Characterem tamen hominis passim indicat; nec parùm contulit, ut populares sui ad studium hujus scientiæ, & naturæ meditationem excitarentur. Equidem Philosophia in regno illo refloruit, & complures deinceps fuêre qui haud minore Philosophiam amore prosequerentur, ac ipse fecerat. Torricellius, Vinianus, Michelinus tres Academici Florentini motum mirificè pertractârunt. Gassendus ob conatus suos satis laudari nequit. Ex tota antiquitate alium non erueris qui similiter sex densa volumina conscripsisset. Cæterùm Epicuri Physicam instauravit; mōtum ex Gallilæi sententia exposuit, hac tantum in parte ejusdem sectator, alioquin Epicuræus, sed tamen mitior, cùm videlicet fidei Orthodoxæ veritas emendationem deposceret. Admittit enim atomos à DEO conditas, quod Epicurus infitiabatur; motum illis à DEO inprimi, extensionem quóque ac figuram decerni asserit, quæ Epicurus omnia iisdem dicebat ingenita; Providentiam quóque adorat, quam iste sustulerat; verbô, utì ipse vir erat frugi, ita Epicurum vitiô absolvere contendit. Verùm nemo Aristotelem pejùs accepit: hunc, estò genii aliàs placidi, sedatíque esset, rudem, stultum, Chymæricum vocat. De Helmontio, cui in tota Aristotelis Physica nihil est sanum, negari vix potest, quòd defectum habuerit judicii. Nempe Paracelsus ejusdem animum corruperat. Liber Physicus Campanellæ, in quo res, alioquin sensu omni destitutas, animâ præditas docet, sic ut nulla totius naturæ pars vitæ sit expers, somnii & imaginationis Extaticæ, cui non raro subjectus fuerit, suspicionem facit. Telesius eundem secutus est in libro contra Gallienum conscripto. Nimium audet suis in sententiis;

tentiis; Aristotelem nonnunquam fastuosiùs reprehendit, quantumvis sine ratione. Gilbertus Magnetis phænomena optimè explicuit; Harvæus processum generationis animalium, & sanguinis circulationem; Fromondus Meteora, Savotius colores, Mersennus sonum, & harmoniam; Willisius cerebrum, ejúsque partes; Grævius plantarum anatomen. Fludius parùm sani habet judicii, & Philosophorum Paracelsus haberi potest, sicut è converso Paracelsus Medicorum Fludius rectè diceretur; quòd genio planè consentiant. Gassendus Physicam Fludii doctè impugnavit. Borellus & Geometra & Physicus est bonus; ast Metaphysicorum expers principiorum; unde suis in assertis crebrò vacillat. Thomas Hobbius profundam ingenii meditationem præsefert; utque audentioribus postremæ ætatis Epicuræis adnumerari potest, qui Religiosè universis Magistri principiis inhæreat; nullum interpretetur, aut detorqueat: malè de intellectu, ejúsque operationibus ratiocinatur, utpotè quas phantasmatis, & imaginationi duntaxat adscribit. Boyle rationem habet pro duce, atque experimentis tantùm, & animadversionibus Physicam ditare studuit, quæ doctis admodum probantur.



CAPUT X.

Quid de Cartesii Physica sentiendum?

SEd ne nationi nostræ injurii simus, néve Cartesii prorsus obliti videamur, id saltem fateamur oportet; physicam ab ipso contextam, si cum aliis Recentiorem hoc super argumento elucubrationibus conferatur; sive acumen dictionis, sive absolutam, completámque materiæ tractationem spe-



spectes, præcipuis meritò adnumerandam esse. Varias inibi ideas haud illepidas, multas observationes curiosas leges, utque omnia excusseris, denique seriem doctrinæ magis ordinatam offendes, quàm in Galilæo, aut Anglis scriptoribus. Insuper plus novitatis, ampliorem recens inventorum copiam suppeditabit, quàm Gassendi volumina. Demum, ut paucis constringam omnia, néque ordinem, néque methodum in opere desideraveris: ille probè digestus est; hæc Geometriam sapit; proinde principium ex principio, propositionem eruit ex propositione. Attamen non desunt, quæ vicissim reprehendas. Pro corporis naturalis principio motum, figuram, & extensionem statuit, quæ ferè cum Democriti & Epicuri principiis consentiunt. Hinc ajunt Mersennum, qui ejus patronum agebat Parisiis, dum aliquando in sapientum consessu asseveràsset, Cartesium alioquin ob Geometriæ peritiam clarissimum, novam meditari Physicam, in qua Vacuum propugnaturus esset, à nonnullis derisum fuisse, ut qui ex data hypothesi continuò arguerint, majoris momenti rem inde haud prodituram. Idcircò Mersennus clientem litteris mox admonuit, Vacuum eâ ætate Parisiis non probari: ut adeò Cartesius alias inire vias coactus sit, queis non modò Recentiores Physicos à se non arceret, quin potiùs optatum ab ipsis suffragium impetraret. Itáque Plenum Leucippi instauravit, & Vacui proscriptio ex ratione politica principii locum obtinuit. Verùm hanc quóq; positionem novis argumentis Gassendus impetiit: nempè motum, qui ad censum principiorum Cartesii pertineret, impossibilem reddi, si nusquam Vacuum relinquatur; quòd in Pleno pars nulla citra penetrationem moveri posse videatur. Cartesius, ut absurdam hanc consecutionem amoliretur, ad materiam subtilem curas adjecit: illa velut machi-

na

na universali quovis applicita tam Pleni, quàm Vacui, quantum intererat, sententiam constabilivit. Uti autem hæc de Pleno, materiáque subtili opinio solùm ex intervallo, & ne tempori, ac genio hominum obniteretur, non autem ex sua Authoris mente in systematis partem venit; ita in cunctis, quæ motum, ut ut principium esset, concernerent, Physicam reddidit infirmiorem. Motus enim omnis ex mente Cartesii initiô mundi est conditus; quin ullus vel de novo causetur, vel de corpore transeat in corpus. Materia subtilis impulsu suo gravitatem juxta & levitatem corporibus indit; motum gravium in progressu centrum versus accelerat; particulas aëris motu agitat perturbato, in quo ratio caloris est sita. Docet præterea plantarum genesim, animantium propagationem non nisi fortuito corpusculorum concursu peragi; non secus, ac palatium ex lapidum temere congestorum cumulo formaretur: Item quòd bruta non sentiant; quòd lætitiæ, amoris, odii, tristitiæ, doloris, voluptatis indicia, quæ manifestè produnt, elateriis pro varia materiæ dispositione sint tribuenda; quòd neque ignis sit calidus, neque marmor durum, neque aqua humida; sed cuncta ex perceptione animi denominationem obtineant: itáque perceptio & ignem calidum, & marmor durum, & aquam humidam constituat; quin res ipsæ ullis affectæ sint qualitatibus, utpote quas dudum inter chymæras reposuit. Adde, quòd Cartesius, dum vult ut, si vel tantillùm sapere cupiamus, de omnibus dubitemus; notiones seponamus quasvis; missa faciamus præjudicia sive ex assuetudine, sive ex educatione prima, sive ex opinione, sive ex sensibus, rerúmque impressionibus hausta, multò plus deposcat, quàm polliceatur: dúmque effectuum naturalium causas redditurus, ait, eosdem ex certa figura, motu de-

 ter-

CAPUT XI.

Quid in Recentioribus, qui de Physica scripserunt, laudabile? Quid è converso culpabile?

PHysica Chymicorum unà cum tribus ipsorum principiis, Sale, Sulphure, ac Mercurio labili nititur fundamento: angustis clausa limitibus ingenia habuerint, oportet, qui, cùm universam complecti non possent Philosophiam, ad objecta certis definita terminis operam applicuerunt, quibus animum, cogitationésque constringerent. Porrò ternas in classes congruè secernuntur. Sunt enim, qui Naturæ notitiam generatim sectentur: sunt rursus, qui ministerio ignis ex lapidibus, metallis, plantis, & animantibus sales diversos, liquorésque extrahant in usus medicos; sunt denique, qui Chrysopæiæ studeant, artémque inquirant metalla sive quoad naturam specificam, sive quoad colorem, sive quoad plexum, partiúmque texturam variè transformandi. Primi, & secundi in numerum doctorum, qui rationem sequantur, venire possunt, ùt Albertus Magnus, Helmontius, & qui vulgò Chymici audiunt. Ultimi, quos barbarâ voce Alchymistas dicimus, extra orbitam abeunt. In jura quippe conditoris involat, qui, quòd nova moliatur metalla, potestatem novas rerum species efformandi, sibi arroget, recesse est. Cabalistarum & Astrologorum, qui judiciariam profitentur, doctrinâ nihil futilius. Ita equidem censeo non secus, ac de Cardani Physica, qui universa in suis de rerum varietate libris conclusit. Ast prætermittere nequeo, quin ultrò contester regiam Physicorum

ſocietatem in Anglia, Academiam Philoſophorum, quæ non multo abhinc tempore Regis juſſu Lutetiæ eſt inſtituta, curas Cardinalis Medicæi vitâ functi, ut ſapientes exemplo ſuo incitaret, novúmque experimentorum opus, quod ante annos aliquot Florentiæ typis excudi fecit, plurimum contuliſſe, ut præſenti, quod agimus, ſæculô Phyſicæ amor accenderetur, néque aliud inter Europæ literatos ſtudium magis ferveret, quam iſtud. Et verò optatus conatui eventus non defuit. Nam citra adulationem dici poteſt à medio circiter ſæculo ſive experimentis, ſive obſervationibus, ſive inſtrumentis Aſtronomiæ ſervientibus, nupérque inventis, plura in Phyſicis eſſe detecta, quàm à mille & amplius annis. Etenim ars tandem innotuit diverſas aëris affectiones thermometro explorandi: factæ ſunt novæ corporis lunaris imagines in charta, quæ tum phaſes menſtruas; tum varias apparitiones ob umbram in eminentiis & cavitatibus, tanquam tumulis vallibúſque ortas repræſentarent; repertus eſt modus, ſyderum curſus ad calculos revocandi, perinde atque motus indicis in automato, aut umbræ in ſolario dimenſus eſt. Noſtro hoc ſæculo, aut paulò ante in Cæleſtium corporum motibus anomalia patuit, nimirum illis in operibus, quæ DEUS præ reliquis omnibus magis ordinavit. Denique ob laudabilem hanc litteratorum æmulationem, quæ ſuperioribus annis Gallos, Italos, Anglos, Batavos Phyſicæ Cultores commiſit, non ſine ratione diceres, mundi faciem immutatam; Cœlum aliis agi principiis, aliter conformari; aërem ob meteororum notitiam magis illuſtrari; maria ob nauticæ peritiam comerciis opportuniora; terram ob ſimplicium, mixtorum, ſalium & foſſilium cognitionem magis pervideri; cunctas artes novis inventionibus eſſe nobilitatas. Id unum modò eſt ſtudium, novum ſcien-

ſcientiis lumen accendere, quas ſæculorum exactorum negligentia offuſcavit. Perpetuus experimentorum uſus, meditatio, & notitia magìs ac unquam invaluit. Quid memorem mirandos conatus ſuper cordis motu, circulatione ſanguinis, cerebri ſtructura, totius humani corporis anatome; dum tot arcana, tot myſteria à modico tempore in muſcis, cæteriſque inſectis, detecta ſunt, ex quibus Angli ingens obſervationum volumen congeſsêre, quas hactenus ignorabamus? ſi pari ardore Phyſicæ particularis ſtudium promoveant, obſervationes in ſingulis mundi partibus, ad quas navibus appellunt, ſuſcipiant, facilè ſecundum hiſtoriæ naturalis tomum abſolvent, qui Pliniano ſubnecti mereatur. Narrationem ægrè finivero, ſi cuncta ſingillatim perſequar, quæ recentior Philoſophia in natura detexit. Sed tamen nequeo non meminiſſe, quantam in Galliis facultas hæc ex D. Camerarii, Regii Archiatri, operibus fecerit acceſſionem. Cùm ad Ariſtotelis placita propenderet, de Phyſica ſolidiùs ſcripſit, quàm alii complures, &, quod mirêre, elegantiùs. Nunquam in materia adeò ſterili, ſiccáque tot flores, tantámque venuſtatem videris; quin tamen dictionis ornatus argumentorum robur infringat, aut materiæ gravitatem imminuat. Verè pronuncies nullum ex Recentioribus æquè nitidum fuiſſe & ſolidum, ipſámque adeò Naturam, ſi ſemet declarare velit, aliâ linguâ, alio dictionis genere non uſuram.



CA-

CAPUT XII.


Media, quibus Physica perficiatur.

UT has demum animadversiones absolvam, expendere supremùm juvat, quid contulerit, ut scientia Physica, ab aliquot retro annis multùm exculta, ultimam perfectionem obtineat; quidque è converso obsuerit, quo minùs, uti par esset, porrò excolatur. Honor & æmulatio veluti anima est artium & scientiarum (a); hinc satis nunquàm illos æstimaveris, quos genius ad Physicam trahit, utpotè cujus notitia humanæ societati plurimùm tribuit emolumenti. Sed néque satìs monueris, ne novis occupentur opinionibus, antequam eas discusserint; néve partium sint studiosi & aliorum placitis serviliter adhæreant. Exuendus est mos iste pessimus, qui discerniculum & cognitionem veritatis nunquam non præpedit. Firment assertiones suas usu rerum, & experientiâ, (b), ut ita gratos devitent errores, & inditum animis propria in causa præjudicium deponant: sed tamen ne nimium curiosi sint, quin doceri sustineant, nec nimium dociles, quin ipsimet res investigent. Quippe indocilis curiositas ad errores, docilitas servilis & cæca ad ignorantiam iter instruit. Nôrint rationem & experientiam geminos esse calles, quibus ad hanc scientiam patet accessus; rationem autem sine experientia minùs solidam, experientiam sine ratione minùs esse accuratam. Ne vulgi curiositatem pascere contendant novitate. Quorundam enim nova-

(a) Honos alit artes, omnésque incenduntur ad studia gloriâ: jacéntque ea semper, quæ apud quósque improbantur. *Cic. 1. Tusc.*

(b) Usus & experientia dominantur artibus, néque ulla est disciplina, in qua non peccando discatur. *Colum. de re rust. C. 1.*

novatorum hæc vanissima est Philosophia, minorem ut sollicitudinem gerant, res utiles, quàm delectabiles proferendi. Istæ sunt regulæ recentioribus Philosophis vehementer commendandæ (a), ut soliditati studeant, sine qua scientiam, de qua loquimur, nunquam obtinebunt, utpotè illusionibus obnoxiam, & suâ sæpè laborantem certitudine. Cæterùm etsi Physicæ generali ferè nihil adjici potest, ut novis locupletetur principiis, novâ methodô pertractetur; siquidem statutos denique fines habet: nihilominùs particularis adeò ampli est argumenti, ut semper invenias, quo augescere queat. Utque multas detexeris stellas, perpetuò aliæ supererunt detegendæ: quoniam fundi adeò est profundi, ut licèt multorum ingeniorum studio, plurium sæculorum decursu hauriatur, semper tamen maneat inexhausta.



CAPUT XIII.

Physica nonnunquam sensibilibus rerum conditarum formis nimiùm affigitur, ut adeò conditorem minùs agnoscat.

Ultima animadversio, quam de Physica tractantes meritò faciunt, spectat inolitum quorundam Physicorum morem, qui suis in ratiocinationibus cuncta ad Naturam revocant; proinde eidem plùs, ac competat, virtutis attribuunt: insuper illius potentiam ultra præstitutos à conditore fines extendunt. Ita fecerat Alcindus Arabs Philosophus, quem Averroës inter summa, quæ unquam fuerint, ingenia seponit. Sanè pauca ignoravit: sed studium in eo tantùm posuit, ut Naturæ assere-

(a) Non tempus nobis deesse, verùm industriam, ordinem, rationem, & modum sciendi. *Quintil. L. 2: c. 10.*

afféreret, quæ vulgò ſpiritibus adſcribuntur, & ſive à bonis, ſive à malis geniis præter Naturam contingunt. Similiter Petrus Aponenſis, & Pomponacius Naturæ faventiores, effectus omnes ſublunares ad impreſſiones Cœlicas retulerunt: utque Galienus à temperamento qualitatum, Albertus magnus à forma ſpecifica, Marſilius Ficinus à Planetis; ita Petrus Aponenſis à cœleſtium corporum virtute cuncta derivat; nec aliud in rebus agnoſcit prodigium quàm temporum & anni viciſſitudines (a), idcircô *vir magnæ ſed nimium audacis ſapientiæ* à Joanne Baptiſta Mantuano jure appellatus (b). Vitium iſtud puſillis proprium eſt mentibus, quæ non credunt, niſi quod cogitatione aſſequi valent. Montagnius ejuſdem videtur Characteris: multa pernegat, dum naturali ratione cuncta cupit firmare; Eò religioni damnoſior, quò probrum hoc magis à ſe nititur amoliri. Ob ſimplicis enim ſermonis, & Philoſophiæ prorſus humanæ candorem faciliùs in animos influit, præſertim, dum obiter, & per tranſennam tantùm ſe dicere ſimulat, quæ dicta vel maximè ſatagit. Carteſii Phyſica ſpiritus ultra ſenſum non provehit; quippe operationes animæ quantumvis ſpirituales per corpuſcula explicans. Unde paucis abhinc annis Anglus non defuit (c), qui conaretur oſtendere, univerſas ejus ratiocinationes ad principia mechanica artium tandem reduci; in quo Philoſophia ejuſcemodi Religioni ſit noxia. Univerſim Phyſica Medicæ, Aſtrologiæ, & Chymicæ juncta ſenſibilibus rerum conditarum formis nimiùm occupatur, ut proinde conditorem minùs agnoſcat. Plus æquô ſenſibus indulget, quàm ut ſupra ſenſum ſapiat: dumque animum rebus inferioribus perpetuò diſtinet, ægrè adducitur, ut DEUM exi-
ſteré


(a) *Loyer. l. 4. de ſpectris. c. 5.* (b) *12. de pat. c. 3.* (c) *Hen. Morus in præfat. Enchiridii Metaphyſici editi Londin. ad Annum 1671.*

ſtere credat. Miſeri ejus generis Philoſophi! qui ad cognoſcendas res conditas ingenia acuunt; ad pervidendum conditorem obtendunt, & quodammodo excæcant. Longè diverſa veterum Philoſophorum methodus erat: non modò ſublimiores præ nobis habebant ideas, ſed ſemetipſos tranſgreſſi ſupremam agnovêre rationem, quæ regula eſſet placitorum omnium, & cui ingenia ſubjicerent (a). Denique ne diutiùs immorer, reflectamus oculos ad nos ipſos, quoties de natura ſententiam rogamur: maturum feramus judicium, nec temerè de illius operationibus ſtatuamus, utpotè de quibus non niſi cum tremore foret pronuntiandum. DEUM enim arguit, ejúſque Majeſtatem ſuo ſupponit judicio, qui naturam DEI opus reprehendit (b). Ita Rex ille exorbitavit (c), qui ex erroneo Philoſophiæ ſenſu ab Arabibus hauſto ſtructuram mundi ſibi ſumpſerat emendandam. Sana Philoſophia, ubi perfectionis apicem attigit, cuncta timidè circumſpicit; cùm ſententiam dicere oportet, tremore percellitur, quòd ſuam noverit ignorantiam & humani ingenii infirmitatem; ſique de DEI operibus ſermo incidat, miſsô ulteriori ratiocinio, intellectum quantumvis perſpicacem ſubmittit, non ſecus ac Cherubin alas apud Prophetam incurvent, & DEI throno ſubſternant, ut ejuſdem excellentiam ac Majeſtatem humili venerentur obſequio.



ANI-

(a) Quid aliud natura, quam DEUS & divina ratio toti mundo inſerta? *Sen. Benef. L. 14.* (b) Per quæ declaratur naturæ potentiam id eſſe, quod DEUM vocamus. *Plin. Hiſt. Nat. L. 2.* (c) *Alphonſus Rex Caſtellæ.*



ANIMADVERSIONES IN METAPHYSICAM.

CAPUT I.

Nihil certò & evidenter scimus nisi ope Metaphysicæ.

PHysica rerum naturalium, & sensibilium, Metaphysica intellectualium, & insensibilium est scientia. Reliquæ omnes ad hanc ordinem dicunt, ceu basim & fundamentum, cui innitantur; ab hac methodum discunt scientificam, quæ si absit, imperfecta duntaxat & superficialis comparetur scientia, necessè est (a). Hinc fortassis Aristoteles ansam sumpsit Metaphysicam verum Philosophiæ exordium, & primam scientiarum omnium appellandi (b). Uti enim sola entis contemplatione occupatur, quin expendat, corporeumnè sit? an corporis expers? ultra sensus & objecta iisdem obnoxia contendit; & Geometriæ quidem corporum quantitatem, Physicæ autem reliquas ipsorum proprietates speculandas relinquit: ut in solas rerum essentias à singularibus separatas, cujusmodi sunt substantiæ, accidentia, relationes, oppositiones, & quid quid seposita materia sensibili concipi potest, obtutum defigat; & res alioquin ex genere suo spiritua-

(a) *Aristoteles. L. 6. Metaph.* (b) *Idem. L. 11. c. 6.*

rituales nempè animam rationalem, Angelos, DEUM adeò ipsum valeat contemplari: quocirca divinum quid sapit nec immeritò ab Aristotele divina & Theologia naturalis denominatur (a). Finis hujus scientiæ est pura, abstractáque veritas. Ejus ope res universas prima ab origine pervidemus, ut intellectum nihil effugiat; quin & species quaslibet singillatim persequimur, ut easdem licèt innumeras ad sua revocemus principia. Nisi ipsa præluxerit, cognitio omnis humana imperfecta erit, & debilis; nec solidè quidquam seclusis ejusdem axiomatis demonstrabitur.



CAPUT II.

Scopus Aristotelis in Metaphysica, & ejusdem in quatuordecim libros partitio.

SCopus, quem Aristoteles in Metaphysica sibi præfixerat, fuit, ut principia aliis scientiis subministraret, quibus alioquin destituebantur; ut veritatem stabiliret, quæ normæ instar, ac Regulæ reliquis foret. Itáque duodecim libros conscripsit, quorum tres primi Metaphysicæ prolegomena complectuntur. Librô primô docet memoriam ex sensu, experientiam ex memoria, artem & scientiam ex usu comparari (b); præterea sapientiam, utpotè primorum notitiam principiorum, jure anteponi scientiæ; nihil sciri, nisi ex causis, propter quas res est, nec aliter se potest habere; veteres Philosophos sæpiùs benè sensisse, quin rationem nôssent, cur ita sentirent? quoniam methodo suis in cognitionibus caruêre; denique præjudicia ex educatio-

C ne

(a) *Idem. ibidem.* (b) Usus efficacissimus omnium Magister. *Plin. Hist. Nat. L. 26.*

tiam, tanquam fundamentum potioris partis principiorum, quæ Metaphysicæ sint propria, pertractat. Libro undecimo plura repetit, quæ tum tertio, tum quarto stabiliverat; speciatim modum opportunè dubitandi, ut vera hoc pacto scientia obtineatur. Etenim, qui dubitat, magis ad vestigandam veritatem instructus est, ac alter, cui nihil dubium videatur; quòd videlicet judicii certitudo ad creperam, incertamque lucem vel maximè pateat. Libro duodecimo, postquam formas substantiales evicisset, separatas quoque à corpore substantias, & spiritus dari edocet, ut ita primi motoris, seu DEI existentiam demonstret. Duo ultimi libri D. Thomæ Aquinatis temporibus non habebantur, Possevinus L. 13. Bibliothecæ negat eosdem ab Aristotele fuisse conscriptos. Verùm, cùm idem in ipsis character, idem vigor, ac spiritus, eadem ratiocinandi reluceat methodus, oppositum reliqui opinantur Doctores. Utque abnui nequeat, multa in tertiodecimo rememorari, quæ Pythagoræ numeros, ideas Platonis concernunt; tamen decimus quartus congeriem exhibet axiomatum, principiorum, divisionum, ac definitionum longè pulcherrimarum, quas ex prioribus contulit. Tametsi verò Aristotelis Metaphysica minùs sit ordinata, & crebriùs eadem recolat; fons nihilominùs est inexhaustus cognitionum, argumentorum, regularum, & veritatum, queîs reliquas ad scientias mirum in modum iter facilitatur: neque aliud Philosopho, qui rerum notitiam eruere velit ex fundo, magis est necessarium, atque Aristotelis Metaphysica.

CAPUT III.

Aristoteles optimè omnium Gentilium Philosophorum de ente supernaturali, atque spiritibus disseruit.

Quod magis hoc in opere mireris, præfatam abstractè ratiocinandi methodum primus omnium Aristoteles invexit; ille de ente immateriali, de spiritibus, ipsóque DEO sermonem intulit. Sanè prædecessores Philosophi ejusmodi de rebus parùm solidè disseruerunt. Pythagoras quidem ab Hebræis ex consuetudine cum Ægyptiis habitâ DEI unitatem edoctus fuerat, quam etiam Græcis postmodum tradidit: sed ut Ægyptii mysteriis, visis, ac Somniis multùm solebant tribuere; ita Pythagoras variis pariter imaginibus imbutus de spiritibus atque intelligentiis tanquam de subtilissimis, quæ mundum undique occuparent, corpusculis loquebatur (a), ut adeo Cabalistis innumerabilium gerrarum, & commentorum de spiritibus author fuerit, quorum subinde memoriam suis in relationibus Anonymus innovavit (b). Plato, qui vix aliter loquitur in Epinomidis & Cratili dialogis, errores à Pythagora hausit; Zeno autem Stoicus à Platone, ut Lipsius diffusè declarat (c). Apulejus asserit, Platonem ex veteribus Philosophis optimè de DEO, ejus Providentia, rebúsque divinis, ac spiritibus sensisse (d). Nec abs re est, quòd hac in materia reliquis saniora proferre videatur. Ast, quo-

(a) *Diog. Laër. de Pythag.* (b) Omnes partes mundi animarum esse plenas: intra lunæ Gyrum aërias esse animas. *Varro apud Augustinum lib. 7. de civ. DEI c. 6.* (c) Non aëra æstate tam plenum muscis esse quàm geniis. *Lipsius L. 1. Physiologia cap. 18.* (d) Nulla secta majori successu de divinis rebus Philosophata, quàm Platonis, qui cælo ipso subliniora vestigavit. *Apulej. in Apolog.*

quoniam potiori ex parte Pythagoræ dogmata recitat, nemo eidem satis tutò adhæserit. Tertullianus ait, Platonicos perinde, ac Stoicos DEO corpus affingere (a). Aristoteles, quòd ingenii esset acrioris, & magis solidi, aliter argumentum istud pertractat; Pythagoricorum errores à sanis, quæ didicisset, placitis probè distinguit. Quod Epicurum attinet, formâ adeo ridiculâ DEOS depingit, ut cùm maximè ipsos invehit, simul eliminet (b). Zeno sapientem Divinæ Providentiæ negat esse obnoxium; Diis facit æqualem; proinde hos despicabiles reddit, permissâ pro arbitrio quidvis opinandi libertate (c). Chrysippus libros aliquot de Diis, & Divinitate conscripserat, quorum Plutarchus in moralibus meminit; sed interiêre, nec aliis, quàm Zenonicis niti videntur principiis. Ex tota retro antiquitate nihil hoc in genere melius erueris, ac libros Ciceronis de Natura Deorum. Etenim judicium ubivis tam rectum promit, doctrinam tam sanam inspergit, ut à Pagano ampliùs sperare non possis. Quòd autem cæteris sapientiùs ratiocinetur, Aristoteli debuit, cujus non modo sententias est secutus, sed etiam argumenta, queis Providentiâ res agi evinceret, adhibuit. Seneca cùm de Divinitate loquitur, semi, ut ita loquar, sapere videtur. Idea DEI quam fingit, quasi instar universalis spiritûs mundum animaret, vitio non caret (d). Sed tamen verè pronuntiavit, *nibil interesse, utrum DEUM neges? an infames?* (e). Quæ posteriùs de Metaphysica sub Cæsaribus Platonici vulgavêre,

(a) Platonici corporalem DEUM statuunt. *Tertul. Apolog. c. 47.* (b) DEOS jocandi causâ induxit Epicurus pellucidos & perflabiles. *Cic. Tusc. 5.* Stoici rotundam DEO dederunt formam. *Seneca Epist. 94.* (c) Philosophia mihi promittit, ut me parem DEO faciat. *Idem Epist. 49.* (d) DEUS mens universi, quod vides totum, & quod non vides. *Idem in proœm. Nat. quæst.* (e) *Idem Epist. 114.*

gavêre, leviora sunt, & argumentorum pondere non raro laborant. In Patribus Græcis, quòd Platoni ferè omnes adhæserint, dum de Angelis, spiritibúsque verba faciunt, ob erroneas, quibus imbuti erant, ideas, crebriùs majorem accurationem requiras. Post stabilitam Christianorum Religionem existentia DEI, animæ immortalitas, status ejusdem à corpore separatæ, bonorum malorumvè geniorum natura & reliquæ principaliores fidei nostræ veritates tam luculentis declaratæ sunt rationibus, ut citra impietatem vocari porrò in quæstionem nequeant. Pomponacius priori sæculo librum edidit de animæ immortalitate, qui ob characterem suum Romanam illi censuram subinde accersiit (a). Agrippa in omnibus suis dissertationibus exorbitat, quas librô tertiô Philosophiæ occultæ, de DEO, Religione ac intelligentiis instituit. Ramus Metaphysicam tanti non fecit, quin potiùs vilipendit, quo in negotio parùm prudenter egit. Philosophiæ liberales artes lubenter junxisset; dum impunè Metaphysicam rescinderet. Sed in immani hac scriptorum multitudine, quæ scholasticos inter pulveres posterioribus sæculis sunt excusa, nullum majoris acuminis, ingenii acrioris & magis perspicacis indicium præbet, atque Metaphysica Patris Francisci Suarii è Societate JESU; cùm enim contineat, quidquid apud Scholasticos universim subtilitatis erat ac roboris, inter admiranda supremæ ætatis opera jure merito numeratur. Néque satis commendari potest junioribus Theologis, qui ob depravatum jam animum, novæque methodi cupidum, Scholasticam suis in disputationibus negligunt, ut si historiam profiterentur. Nimirum minùs difficilè accidit ostentare memoriam, quàm sani judicii specimen dare. Ingens præterea commentariorum in Aristotelis

(a) *Bulla:* cum diebus nostris &c. *data anno* 1513. 14. *Kal. Jun. ad S. Joan. Lat.*

telis Metaphyficam numerus ultimis temporibus prodiit; & verò charactere admodum fubtili exaratorum : quos inter eminet commentarius Fonfecæ Lufitani, ex eadem Societate Sacerdotis. Equitis Digbæi de animæ immortalitate liber nimium abftractus eft. Metaphyficæ Cartefii meditationes à nonnullis laudantur, quafi præ aliis Recentioribus hujufcemodi materiam largiùs exhaufiffet. Prima docet rectè dubitare, ut fcientia comparetur; fecunda, cogitationem præ corporibus fenfibilem effe ac notam, evincere nititur; tertia DEI exiftentiam demonftrat; quarta inter verum & falfum diftinquit; quinta rerum materialium effentiam perfequitur; fexta eandem exiftentiam comprobat; demum opus totum abfolvitur reali inter corpus & cogitationem diftinctione, ut ita decantatum illud principium ftatuatur: *cogito, igitur fum.* His adjici poffunt refponfa ad Gaffendi objectiones eodem charactere, ac tenore confcripta. Wilifius Phyficus Anglicanus de formis feparatis haud malè differit; nec ævo præfenti, quo meditationes Phyficæ præ Metaphyficis invaluerunt, multa, quæ eidem conferri poffent, opera afpeximus. Optabile foret ut ingenia ad id alioquin idonea diligentiorem Metaphyficæ darent operam; quin tamen illorum fequantur confilium, qui Religionis myfteria planiùs pertractanda, Metaphyficis abftractionibus indies implicant, cùm tamen nihil iifdem realiùs, nihil fimpliciùs valeat cogitari.



CAPUT IV.

Qui amotis impedimentis perfici Metaphysica queat?

METaphysica, quantumvis tot lucubrationibus, de quibus nunc memini, exhausta videatur; nihilosecius porrò haurienda, etiamnum suppeditat, si quis ad principia, & ratiocinationes, quas in Metaphysicis Aristoteles fecit, reflectere velit. Neque enim limites poni possunt scientiæ, quæ conceptibus, atque ideis perficitur. In hunc verò finem character reflexioni & ratiocinio proprius necessariò deposcitur. Præterquam enim, quòd dicta scientia suas ratiocinationes magis expendat, quàm quævis alia, complures in decursu obices, iidémque non leves occurrunt. Primus est, quòd vias insistat minùs frequentes & ferè incognitas; quòd nihil propemodum habeat constabilitum; quòd nulla quasi definitio inveniatur legitima, nulla divisio satis exacta & adæquata; quòd ansam præbeat, de multis dubitandi, quærendi, litigandi; pauca tamen principia, de quibus inter æmulos conveniat, hucúsque suggesserit. Secundum ponit ingenitus mortalium animis timor, qui Metaphysicam, quòd à materia, rebúsque sensibilibus abstrahat, continuò viribus superiorem depingit: ut adeò similes simus viatoribus, qui nunquam non timent, & curis anguntur, dum per calles incognitos iter faciunt. Tertius oritur à maximo vocum difficilium & barbararum numero; à definitionibus obscuris & implicatis; ab ingenti cogitationum & argumentorum in Scholis procusorum farragine, quæ scientiam non, ut par esset, amabilem, quin contra ingratam & odibilem reddit.

dit. Quartus est cavillationum congeries, infinita spinosarum & nauseabilium quæstionum series, quæ potiùs serviant torquendis, quàm erudiendis ingeniis. Quintum deníque opponit raritas ingeniorum ad hanc scientiam factorum. Néque enim huc pertinent, qui vel nimis anxiè cuncta rimantur, vel superficietenus hærent. Nimia meditatio creat melancholiam & Philosophos, ut Agrippæ accidit, in phantastas transformat. Levitas animi & desultoria studendi methodus in opiniones abstrusas, & periculi plenas avertit, prout malo suo comprobavit Cardanus, qui visis in diversa abstractus Philosophiam summè chymæricam condidit: quod ipsum alii levioris genii hodiéque experiuntur. Ab aliquot retrò annis authore Henrico Moro liber Metaphysicus Londini excusus est, qui omnes Cartesii ratiocinationes, quibus DEUM existere demonstrat, & potiorem Meditationum partem suffulcit, convellere nititur. Nempè parùm erat Anglicano huic Philosopho Cartesii Physicam, perindè ac Hobbesianam tanquam liberiorem impetere, nisi etiam Religionem illius culpâsset. Viderint clientes alioquin famæ admodum cupidi & retinentes, quî doctrinam Magistri & Authoritatem tueantur. Superessent aliæ præterea animadversiones, si Metaphysicæ axiomata minùs forent obscura: sed antequam his finem imponamus, de sano Philosophiæ usu, ad firmandam videlicet Religionem, paucis loquamur: quippè is tandem fructus erit optatus, præcipuè cùm non rarò contingat, minorem de Religione apud illos sollicitudinem esse, qui curas Philosophiæ impensiùs addixêre.



ANIMADVERSIONES

De

Sano uſu Philoſophiæ ad protegendam Religionem.

CAPUT I.

Philoſophiam utpotè præcipuum ad ſtabilienda Religionis dogmata inſtrumentum ſanam eſſe oportet.

PRæcipuum, quo ad confirmanda Religionis dogmata utimur, inſtrumentum, eſt ratio; hæc verò minùs relucet, ſi Philoſophia abſit, cujus ope in ordinem methodúmque digeſta, tandem ad infallibilia principia revocatur. Igitur multùm intereſt ſanam didiciſſe Philoſophiam, ut intellectus æquum ferat judicium, & tutò procedat per ſemitas, à quibus quævis defectio, & vel tantilla exerratio nequit non eſſe damnoſa. Hinc rectè Lactantius: *Philoſophia viro prodeſt plurimùm, ſi Religione imbutus ſit animus* (a). Sed facilè medio tam ſalubri abuti contingit, dum animus ſive labendi cupidine; ſivè malis affectibus; ſivè præceptis opinionibus in tranſverſum impellitur: nec à vero abluſit Callicles apud Platonem, cùm dixit, Religionem Philoſophiâ malè impensâ depravari poſſe. Igitur magnâ opus cautelâ. Fides unctio eſt cœlica mox deperitura in animo perperam erudito. Uti enim liquor à vaſe lutulento vitium trahit; ita ad corrumpendam Reli-

(a) Lib. 4. c. 1.

Religionis Sanctitatem nihil opportunius, quàm ut errores hauserit, qui eandem profitetur. Haud tamen idcircò Philosophus sit oportet, qui Christianis cupiat accenseri; néque cœlestis sapientia terrenâ tanquam basi innititur. Sed cum ratio nostra sese fidei subjecerit, hæc quantumvis divina humanis uti voluit argumentis, ut intellectum rationi faciliùs submitteret; adeóque pura sanctáque vix erit, nisi Philosophia ejusdem instrumentum ac organum similiter labe caruerit. Hinc Divus Paulus primævæ Ecclesiæ Sodales tam sollicitè commonet: *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam, & per inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm Elementa mundi, & non secundùm Christum* (a). Mundus diversis Philosophorum opinionibus ita erat perversus, ut Christiano, quantumvis circumspecto difficilè accideret periculum amoliri. Quippè Tertulianus disertè testatur, *notata esse commercia hæreticorum cum Philosophis* (b); quin imò *Philosophos* ut ita loquamur, *Patriarchas fuisse hæreticorum* (c). Sequior Philosophia soli & astris cultum apud Ægyptios peperit (d). Valentiniani, quos Divus Iræneus (e) impugnavit ex Diogenis & Epicuri, Gnostici ex Platonis, Manichæi ex Pythagaræ schola prodivêre. Marcionem Zenonis doctrina ad hæresim flexit; Manes erroris sui principia ex Saraceno hausit Philosopho, cujus meminit Epiphanius (f). Divus Hieronymus ait (g) Pelagianos non alia de causa in errores deviâsse, quàm, quòd Stoicorum Ethicâ animos imbuissent. Porrò quòd propter memoratam Reli-

(a) *Coloss. c. 2.* (b) *Lib. de præscript.* (c) *Lib. de anima c. 3.* (d) Ægyptios ferè primos omnium, cum oculos in cœlum sustulissent, modum & ordinem corporum cœlestium admiratos, Solem & Lunam DEOS putasse: ea venerantes, dum curiosiùs intuentur. *Lact. lib. 4. c 14.* (e) Epicuri Philosophiam & Cynicorum indifferentiam æmulantes. *Iren. L. 2. c. 56. & 7.* (f) *Hær. 66.* (g) *Advers. Pelag.*

Religionis cum Philosophia necessitudinem primis temporibus contigerat, idem subsecutis evenit. Possevinus observat (a) fidem exuperare, quot in Europa hæreticos & libertinos lectio Averroïs procreârit. Nunquam Alphonsus Castellæ Rex naturam redarguens Dei opera carpsisset, nisi ex Philosophis Arabibus, & ex Judæi Hispani fabulis, qui motum trepidationis firmamento indidit, hanc impietatem didicisset. Agrippa ipse fatetur (b) quòd intellectum Porphyrii, Procli, & Plessi, qui omnes Platonici erant, assidua meditatione corruperit. Cervetus Hispanus, & Socinus Italus in eum solummodò finem philosophati videntur, ut novam subinde formam Religioni inducerent. Imò non desunt, qui tueantur, ideò potissimùm Cartesii Philosophiam, tot in Dania & Suecia asseclas numerâsse, quòd Calvini, qui illic ferè dominatur, erroribus faveret. Etenim ejus principia fidem facere adlaborant, naturam rationalem suis in actionibus vel maximè liberis non agere, nisi ex voluntate Conditoris impulsam; non esse hominem, qui velit, dum voluntas operatur humana, sed DEUM; Mysterium Eucharistiæ multis ex capitibus contradictionem implicare. Denique nihil adeò animos depravat ac doctrinæ fucus; nec aliud Religionem magis contaminat, ac exorbitantis Philosophiæ paralogysmi. Quippè Schola mendacii discipulos non creat veritatis; néque humanarum opinionum inconstantia & levitas Apostolos in immobiles fidei columnas formavit. Hinc Patres tam Lateranensis, quàm Viennensis Concilii Philosophiæ Professoribus severè mandârunt, ne quas docerent sententias, Religioni adversas. (c)

CA-

(a) *Bibl. Lib. 13. c. 23.* (b) *In Epistolis.* (c) *Possev. in Biblioth. L. 13. c. 10.*


CAPUT II.

Christianum esse prius oportet, quàm Philosophum.

MUltùm ergo Christiani interest, ne quamvis promiscuè didicerit Philosophiam, quando usus ejusdem tantum detrimenti afferre posset. Quin imò prudentis erit se tutum præstare in sententiarum delectu, à tot retrò sæculis invectarum. Quanquàm quæ securitas sperari queat inter tot nubes, tenebrásque tam spissas, quibus communiter veritas occultatur? prætereo obscuras esse res naturales; intellectum hominis infirmum, judicium ex sensuum impressionibus ortum fallax esse, ut qui frequenter imponant; denique à præceptis ideis, animique affectibus; lumen nobis ingenitum non minùs imminui, atque à nimium vagis, & abstrusis speculationibus; quæ Philosophos sæpe numero fatigant, & magis ad ostentationem scientiæ, fastúmque faciunt, quàm ad intellectûs eruditionem, morúmque culturam. Hinc continuò cernere licet nihilum humanæ sapientiæ, cujus quantuscúnque fulgor plerúmque viam ad errores designat. Quippè, uti benè observavit Divus Augustinus, *ipsa veritatis occultatio aut humilitatis exercitium est, aut elationis attritio.* (a) Ne igitur efferamur; scientiæ initium fiat ab eo, quod fides docet, antequàm ratiocinari auspicemur. Usum fidei in ordinem digeramus, ut rationis usus non exorbitet: Christiani simus, antequàm Philosophi, & præcipua

(a) *Lib. de civit. DEI. c. 22.*

pua nobis eruditio atque Philosophia sit nostra religio. Ut enim Philosophia modum ratiocinandi nos doceat, fides vicissim christiana intellectum rationi, æternæque veritati obedientem facit. Ex Legis studio, quæ *forma est scientiæ & veritatis*, ut ait S. Chrysostomus (a) illius dogmata addiscamus, ut methodo ratiocinandi insuescamus, quæ maximè eidem congruat. Evangelicæ adhæreamus doctrinæ, quam Philosophorum gentilium fastus assequi non valuit, & solido intellectum fundamento firmabimus. Neque enim aliud magis idoneum esse poterat, quàm fides, ut humanæ menti limites ponerentur, & cogitatio alioquin labilis & inconstans re qualibet figeretur. Ne ludamur vanis opinionum imaginibus, quæ nos ultra recti metas abducere possent. Beatus ille, qui inter decumanas mundani hujus maris procellas, quod semper erroribus, falsisque opinionibus agitatur, consilium denique arripuit, ut ne immobilem divinæ revelationis anchoram dimitteret.



CAPUT III.

Illa est optima Philosophia, quæ plurimùm favet Religioni.

IGitur Religio præcipuum est fundamentum, cui humana inniti debeat sapientia, sic ut omnes methodi quantumvis diversæ, quas antiqua & nova excogitavit Philosophia, omnia Physicæ systema-

(a) *Homil. 7. in c. 2. ad Rom. ibi*: Habentem formam scientiæ & veritatis in lege.

ſtemata nuper inventa, omnia recentioris Ethicæ axiomata probari queant, dum Religioni non adverſentur: quòd Evangelium ſententiarum ſit regula, & quid quid ab eodem deflectit, ad errores aviáque ſeducat. Doctrina ſive Platonis ſive Ariſtotelis, ſive Gaſſendi ſive Carteſii eatenus ſolùm pretium meretur, quatenus favet Religioni, quæ ante quamvis Philoſophiam principem ſibi locum vendicat. Nuntium reliquis oportet remittere, & omnis alia eruditio veriùs illuſio diceretur; uti & lumen quodcúnque fulgor evanidus, qui ad paſcendam curioſitatem magis faciat, quàm ad animum imbuendum. Nihil ut veritatem fatear novimus, niſi per ſomnium, quin potiùs cuncta ignoramus, ut adeò ignorantiæ noſtræ miſeratio nos tangeret, niſi ambitio eandem ab oculis noſtris removeret. Quæſtio vel maximè frivola totius antiquitatis ingenia in ſectas diviſit, & poſt tria & ampliùs annorum millia, quibus deſuper litigatur, nihil adhuc confectum eſt. Thales, ejuſdemque ad Platonem uſque diſcipuli, vacuum in natura dari poſſe negârunt, teſte Plutarchô: qui eoſdem ſecuti ſunt, ſi à Democrito & Epicuro uſque ad Recentiores Atomiſtas computum ineas, id mordicùs defenderunt: In hanc etiam diem ultrò, citróque altercationes adornantur, quin inter Authores de quoquam convenerit. Gradus ille certitudinis alioquin ab Academicis tam ſtudiosè, tot ratiociniis quæſitus, non niſi incertitudinem protulit. Deníque, ſcientia humana perpetuò vacillat; nec veritas aliunde, quàm per Chriſtum (a). Sola fides docere poteſt *ſapientiam, quam nemo Principum hujus ſæculi novit* (b): mox ut oculos ad

lumen

(a) Veritas per Chriſtum. *Joan. c.* 10. (b) *Paul.* 2. *Cor. c.* 6.

lumen adeò clarum recluseris, continuò universa pervidebis. Néque enim syllogismorum, aut argumentorum vi cœlestis hæc sapientia mortalium animos occupavit, sed candida simplicitate, & illorum, qui eandem professi sunt, summâ cæterarum rerum ignoratione. Ut Evangelii tuba insonuit, Græci æquè ac Romani fastum ingeniisque ferociam posuêre, & tanta vis erat illius ac potentia, ut primos illicò discipulos in maximos sui cultores converteret. Ergo fides & intellectum hominibus indere, & scientiam docere debet; is autem, qui proprium sequi ductum institerit, in præceps procul dubio abibit.



CAPUT IV.

Intellectum fidei subjiciat, oportet, qui Christianum profiteri velit.

POstquam Religio falsas, queis Paganorum Philosophia animos imbuerat, ideas fidelibus exemit, asvefacere eosdem instituit, ne ulterius ratiocinando disquirerent, quæ Deus disceptanda non proposuisset; quòd præstaret, nescire, ac tanquam arcana, captum humanum superantia, humili ruditate venerari, quæ summæ majestati recondere visum fuisset: quàm ut hanc luminum abyssum temerariis conjecturis, & caligante intellectûs nostri acie explorare contenderemus. Ad divinos Fidei radios edocti sumus impotenti tandem temperare curiositati, qua rerum naturam expendendo, Dei opera audentiùs scru-

ſcrutabamur ; utque vota ambitioſæ cupiditatis deníque reprimeremus, quæ nonnunquam nos adeo creaturis affixere, ut contra conditorem impiè aſſurgeremus. Ipſiſſima hæc colluſtratio cœlica Chriſtianis perſuaſit, ſatius eſſe, intellectum ſubmittere, quàm de religionis myſteriis multùm litigare ; humilem animi credulitatem magis facere, ut fideles evadant, quàm ingenii vim multò perſpicaciſſimam ; ſimplicitatem fidei ſcientiæ fulgoribus jure anteponi. Equidem Dei opera, quibus omnipotentiæ ſuæ veſtigia altiùs impreſſit, omnium minimè percipimus ; ut proinde rationi prorſus congruat, depoſito faſtu æternæ veritatis axiomatibus tanquam regulæ animos conformari ; cùm abſque hoc non ſit ſcientia, quæ ad conſtabilienda principia ejuſcemodi ſubmiſſionem non poſceret. Anne conſentaneum æquitati dixeris, in rebus alioquin indifferentibus, leviſque momenti, uti ſunt objecta artium, & ſcientiarum, injectis veluti vinculis intellectum ſub jugum mittere ; libertatem verò opinandi in argumentis fidei ſibi arrogare ? Carteſius complura docet captu difficillima, quæ nullam conſerunt utilitatem, & ob viri authoritatem, acriter nihilominus propugnantur : DEUS myſteria ſummè credibilia revelavit, quorum fides gloriam parti tura eſt æternam, &, ut eiſdem aſſentiamur, adduci vix poſſumus.



CAPUT V.

Intellectui rationem secuto Philosophia, utpote ipsius regula, perutilis est, cumprimis autem Aristotelica, ut opiniones haustas exponat.

POstquam intellectus rationi paret, Philosophia, quam regulæ instar habet, servire potest, ut sese declaret. Hic primus Philosophiæ est usus, siquidem Religioni ancilletur. Quippe, cùm ista non nisi ex Conciliorum, Patrum, Doctorúmque sensu sua depromere consuêrit dogmata, Aristotelicæ, quam Concilia, Patres, atque Doctores familiarem sibi reddiderant, inhærere methodo consultum duxit. Anatolius Laodiceæ Episcopus, Divi Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Didymus Alexandrinus, & Damascenus primi fuêre, qui Aristotelis Philosophiam apud Christianos promoverunt: idem factum à præcipuis Patribus, atque Doctoribus posterioris ævi, quos inter D. Thomas Aquinas multùm eminuit. Sanctus enim hic Doctor, uti præ reliquis Scholasticis judicio erat acri, & sano, tantum roboris, ac soliditatis in Aristotelis methodo invenit, ut sanctissima etiam Religionis mysteria accommodatiùs exponi non posse arbitraretur, quàm si notionibus, & principiis hujus Philosophi insisteremus. Nec tamen idcirco aut ipsi, aut Successoribus in mentem unquam venit, ut Religionem nostram Aristotelis doctrinâ firmarent; quemadmodum satis ridiculè Frater

Pau

Paulus conqueritur in suâ Concilii Tridentini historia, cujus authoritatem ut infringeret, unáque Theologiam Scholasticam despicabilem faceret, stultè admodùm garrit: *pauciores fore fidei Articulos, si Aristoteles minùs scripsisset.* Etenim nec Doctoris Angelici, nec Scholasticorum consilium ullo tempore fuit, Religionem Christianam Philosophi principiis fulciendi: sed quoniam tot sæculorum decursu, tot exemplis, ac testimoniis probabantur, ex re cessurum crediderunt, si Philosophia ejusdem excoleretur, quò percipiendis fidei dogmatibus saltem indirectè serviret. Nam, licet Religio nostra humanis non innitatur ratiocinationibus, verùm simplici credulitati, quam infirmus, & depravatus hominis animus fastidit; tamen, ut semel intellectum occupavit, consultum est, eandem omni argumentorum etiam naturalium robore constabilire. Similiter DEUS, qui *de tenebris vocat in admirabile lumen*, per hominum ora nobis loquitur, tanquam per organa tenuitati nostræ congruentissima, quin propterea de authoritate quidquam deperdat. Res utcunque prophanæ totidem voces sunt, quibus Dei gloria, & conditoris sanctitas divulgatur; imò nihil adeo surdum est, & inanime, quin ad Dei cognitionem deserviat: & verba Aristotelis, rationes illius, & methodus usui esse non possint, cùm de Religione disserimus, quòd ab homine pagano profecta sint? Cur hæc rejiciamus, postquam D. Thomas, cui utique Concilia & Patres probè erant perspecti; qui cæteris acutiùs Religionis nostræ mysteria pervidit, non aliis verbis, aut methodo usus est? Insistamus vestigiis tanti Doctoris, quem Theologi omnes imitandum susceperunt; & quid

quid opponant, ut Recentiorum placita, quibus authoritas quæritur, tueamur, nunquam sustineamus, ut Religionis nostræ hostes istud habeant solatium, Ecclesiam Romanam à veteri instituto vel latum unguem deflexisse.



CAPUT VI.

Philosophia Religioni non voces tantùm, quibus se explicet, sed etiam methodum ratiocinandi sufficere potest; quem in finem maximè servit Aristotelica.

PHilosophia non voces modò & verba Religioni suppeditat, quibus dogmata declaret, verùm etiam methodum, qua ratiocinetur. Ut enim Christianus intellectum in fidei obsequium submittere debeat, rationes tamen docilitatis ejusmodi, & causas reddere valet, sive postmodum adversarios, qui fidem impugnant, redarguat; sive rudes, qui mysteria ignorant, erudiat. Quoniam verò Aristotelis methodus præ reliquis solida est, & erroris expers, uti in animadversionibus super Logicam dicere memini, idcirco D. Thomas hanc potissimùm deligendam censuit, ut mendacium refelleret, veritatem autem corroboraret. Equidem tam prosperè, ac feliciter consilium vertit, quoties Ecclesiæ Romanæ dogmata explanari oportuit, ut Bucerus, è præcipuis Religionis nostræ hostibus unus, dicere sit solitus: *tolle Thomam, & dissipabo Ecclesiam Romanam.* Porrò prædictam methodum ab Aristotele

ſtotele didicit, eáque Religionis noſtræ doctrinam poſtremæ ætatis Novatoribus adeo formidabilem præſtitit, ut, cùm argumentis reſiſtere non valerent, ad convitia, & crimitationes confugerint; ſcholaſticos, imprimis autem Ariſtotelem, à quo methodum poſt D. Thomam in Academias invectam combiberant, laceſſendo. Anabaptiſtæ primùm ſuis per ſeptentrionem diſperſis, apud quos auctoritate pollebant, Philoſophiæ uſum univerſim ſuſpectum reddere ſatagebant; verba D. Pauli, quibus Coloſſenſes commonet, identidem inculcantes. Lutherus tanto ardore contra Ariſtotelis Philoſophiam debacchatus eſt, ut theſibus Heidelbergæ anno 1518. publicæ diſputationi propoſitis inſeruerit: *qui in Ariſtotele vult Philoſophari, priùs oportet in Chriſto ſtultificari.* Præterea nullam ſuis in lucubrationibus occaſionem neglexit, Ariſtotelem criminandi. Hoc in ſtudio ſequaces ſubinde habuit Zwinglium, Petrum Martyrem, Zanchium, Melanchónem, & reliquos, quotquot Romanæ ſedi bellum indixêre, ut adeo Melchior Canus Canariarum Epiſcopus, & ſcholaſticorum facilè diſertiſſimus dicat: *nullo apud Lutheranos Philoſophiam eſſe in pretio* (a). Calvinus de Ariſtotele nunquam ſcribit, niſi amarulento, plenóque fellis ſtylo, qui maledico, acerbóque illius genio proprius erat. Denique nec aliter comparatos reperies, quotcunque ultimis temporibus contra Romanam fidem calamos ſtrinxêre; quòd nimirum detegendis ipſorum ſophiſmatis, quibus errores conveſtiebant, nihil opportunius, nihil confirmandæ viciſſim veritati aptius promi potuiſſet, atque Ariſtotelis Metho-

 dus.

(a) L. 9. Locor. Theol. c. 3.

dus. Hinc Parisiensis Academia, quæ nullo non tempore zelum Religionis præstetulit, anno 1611. decretum innovavit, quo Professoribus præcipitur, ut majore studio in Aristotelis Philosophiam incumbant, modúmque indagent, eandem utiliter prælegendi. An aliquid dici poterat, quod ad Aristotelis gloriam magis conferret, quem absque hoc posterioris ævi Patres,& Doctores, qui lucubrationes ipsius diligentius pervolverunt, perpetuò commendant, & impensiùs quidem, quàm sive hæretici, sive alii Religionis osores unquam fuerint aversati?

CAPUT VII.

In quo bonus Philosophiæ usus Religioni deserviat?

PRæter voces, notiones, & ratiocinandi methodum, quæ Philosophia, tanquam organum oris, ac mentis, Religioni ministrat, argumenta insuper instruere docet, quibus se orthodoxi non modò tueantur, verùm etiam iniquos debellent aggressores. Philosophia grandem hunc universi librum, doctis perinde, atque indoctis proficuum, prima explicuit; quævis illius paginæ conditarum rerum pulchritudine, ac dotibus ob oculos positis, magnitudinem, & potentiam exhibet conditoris. Philosophia hominem erudivit, qui animum ex tam admirabilium operum cognitione ad notitiam summi opificis eveheret, atque ex effectibus, quos stupet attonitus, virtutum primæ causæ conjiceret. Philosophia vocem cæli & sy-

ſyderum declaravit, ut Dei magnificentiam æſtimaremus, cujus atteſtante prophetâ (a) gloriam enarrant. Philoſophia per mirandam dierum, & noctium viciſſitudinem, per æquabilem, ac conſtantem temporum ſeriem; per elementorum, & partium univerſi ordinem, compagem, & harmoniam, veluti per tubam quandam vocalem magni architecti Divinitatem vulgavit, dum prima ſtructuræ tam perfectæ rudimenta ſub aſpectum conſtituit. Philoſophia denique Pythagoram, Hippocratem, Socratem, Platonem, & Ariſtotelem, queis propter ingenij perſpicaciam, & judicij maturitatem ab omui retro antiquitate peculiaris debetur prærogativa, Dei unitatem edocuit, ut mox atque ſimplici, ſinceróque obtutu grande mundi ſpectaculum reſpexerunt, victas ultrò manus animóſque præberent. Aſt quæ magnis hiſce viris tanti momenti veritatem innoteſcere fecit, apud complures puſillos vix aliud valet, quam ut faſtum ipſorum retundat. *Evanuerunt* enim *in cognitionibus ſuis; & obſcuratum eſt cor inſipiens eorum* (b), dum cultum, & honorem ſoli conditori debitum ex pravo Philoſophiæ ſuæ, rationiſque uſu ad res conditas transtulerunt. Naturam ſcrutati ſunt, quin authorem naturæ inquirerent (c) uti Epicurus, qui non alia de cauſa Phyſicam excoluit, quàm ut aculeos, quos animis Religio ſubinde infigit, revelleret (d). Longè alius Platoni finis erat: ideo duntaxat in Phyſicam incubuit, ut ex mundi exiſtentia Deum eſſe evinceret, non ſecus

D 4

(a) Cœli enarrant gloriam Dei. *Pſ.* 18. (b) *Paulus Rom.* c. 1. (c) Appetitor artis, deſertor artificis complectitur ſpeciem, cujus non miratur authorem. *Eucb. Epiſt. ad Val.* (d) - - - Magnis doceo de rebus, & arctis Religionum animum nodis exolvere pergo. *Lucret. lib.* 4.

cus, ac ex artefacto artificem solemus arguere. Quin Aristoteles omnia ferè argumenta, cunctásque ratiocinationes, quas libro de motu congessit, eò tandem perduxit, ut primum motorem demonstraret: quæ quidem demonstratio una ex evidentissimis, quas tota Aristotelis Physica complecteretur, visa est Avicennæ. Adeo veritati consentit, ex intellectûs infirmitate tantummodò nasci, si quis laboret, ut mysteria à Religione proposita censeat credibilia. Cui enim sanum est judicium, facilè adducitur, ut in ijs intellectum subjiciat, quibus omnis debetur subjectio.



CAPUT VIII.

De ulteriori Philosophiæ usu.

EN præcipuum Philosophiæ in Religionis commodum impensæ usum! Potest præterea robur impertiri argumentis, quibus dogmata protegit; potest imposturas detegere, quas fraus, & error multiplici sub larva molitur; potest immodicam sapientûm hujus sæculi licentiam coërcere, qui curiosè nimis res quasvis, esto captum superantes, rimantur; potest intellectum assvefacere, ut mysterijs quantumvis incredibilibus assensum præbeat, dum isthæc sibi à Deo proponi persuaserit; dum admirandos Evangelicæ virtutis effectus recogitârit: quî videlicet exiguus piscatorum numerus simplicitate suâ cunctos Græciæ, Latiique sapientes devicerit; quâ ratione per humilem patientiam orbem universum in potestatem rede-

redegerit? Hinc Origines, qui teste Eusebio (a) obstrictum se existimavit, ut rationem redderet, cur in gentilium Philosophiam, quæ Christianum dedeceat, tantopere incubuisset? ipsissimâ usus est Philosophia, quin regulas fidelibus præscripsit, eadem salubriter utendi (b). Ostendit enim non alia de causa Philosophiæ adjiciendum esse animum à Christianis, quàm ut in fide sese corroborent; ut invicti adversarijs evadant: Philosophiam eatenus solùm optabilem fieri, quatenus vices gerit instrumenti, quod religioni ancilletur. Id ipsum ulteriùs declarat (c) observatione sapientissimâ, quam antea jam fecerat Clemens Alexandrinus; nimirum, quòd studij hujuscemodi normam Deus ipse dedisse videatur, dum Israëlis populo author fuit, ut opes Ægyptiorum, & thesauros ad sacrarum rerum, quas Religio spectat, ornatum impenderet. Sanè Origenes Orthodoxis Philosophis nihil adeo inculcat, quàm ut lectioni sacrarum paginarum se dedant; ut magnâ mentis attentione easdem pervolvant, ne indigni habeantur, qui veritates cœlicas hauriant, quas divinus ille liber complectitur; quin potiùs simplici corde, animóque submisso sacra mediteutur mysteria; ut missis altercationibus, quàs Scholasticos inter pulveres fervere contingit, majestatem loquentis summo venerarentur cultu, & tametsi incomprehensibilia revelare videatur, fidem nihilominus cœcam eidem haberent. Itaque sapiens hic Doctor profanis scientijs & Philosophiâ ideo duntaxat est usus, ut ad JESUM Christum discipulos adduceret, atque ad fidem animos compararet, prout D. Hieronymus testatum reliquit (d)

(a) *Euseb. L. 6. c. 19. pag. 220. 221. hist.* (b) *Orig. Philocal.* 13. (c) *Idem ibidem.* (d) *Hier. Catal. script. Eccl.*

CAPUT IX.

Philosophia firmandæ tantùm Religioni deserviat, oportet.

VOces methodus, argumenta, quæ Philosophia Religioni suppeditat, nequaquam sufficerent, nisi speciem quóque discerniculi adderet, atque intellectum hominis, lumine à rebus sensibilibus hausto, tanquam primo operationum animæ adminiculo, fidei radijs præpararet. Contingit enim frequenter, ut malè cauti fallamur; quæ juxta Divum Augustinum (a) *miseria certè est hominis, si non est malitia sapientis.* Quoniam verò Philosophus ejusmodi erroribus sæpè magis obnoxius est, quàm rudis & litterarum expers, jure idem sanctissimus præsul concludit, *nullam homini causam esse Philosophandi, nisi ut beatus sit* (c) Hinc Divus Thomas librum de Religione contra gentes sciscitando orditur: *quod sit officium sapientis?* & reponit: *quærere & demonstrare veritatem, quæ prima est veritas* (c); quod ipsum testimonio Aristotelis comprobat (d). Hinc primorum fidelium, qui philosophiæ operam dederunt, princeps studium fuit, ut non modò ad vestigandam Religionis veritatem Philosophiâ uterentur; sed eandem quóque rudes docerent, & adversus impugnantes firmarent. Hinc Divus Justinus, ejusdémque discipulus Tatianus, Athenagoras, & Cle-

(a) *Lib. 19. de civit. DEI. c. 1.* (b) *Ibidem.* Nulla causa philosophandi, nisi finis boni. *Idem ibidem.* (c) *Lib 1. c. 1. cont. gent.* (d) Prima Philosophia est scientia ejus veritatis, quæ est origo omnis veritatis. *Idem ibidem ex Arist. Metaph. c. 2*

Clemens Alexandrinus, qui de nostris in Philosophia præcipui sunt habiti, ad fidei præsidium, rejectis paganorum calumnijs, falsisque ideis, quas populis livor impresserat, exemptis, scientiam illam converterunt. Similiter Tertullianus in doctissima sua apologia Zelum Religionis luculentè spirat: quippe præteritis alijs omnibus motivis, quæ causa adeò justa, quam defendendam susceperat, largè sufficiebat, vitam Christianorum præprimis extulit; vitam nimirùm tam castam, tam sanctam, tam sensus exuperantem; integerrimam fidem, commodorum neglectum, sincerissimam charitatem, quæ omnium actionum anima esset, atque fideles, ut pro persecutoribus etiam DEUM deprecarentur, vehementer incenderet. Deníque innocentiam vitæ, veluti vivam sanctimoniæ ab Evangelio, quod annuntiabant, adumbratæ imaginem jugiter opposuit, ut impostorum & maledicorum ora obturaret. Origenes aliâ contra Celsum usus est methodo: ex Christi divinitate Christianæ legis veritatem evincit, dum néque Christo, néque Moysi quidquam opponi posse demonstrat. Sanè Christus consummatio legis esse non poterat, nisi legislatoris authoritatem succollâsset. Prophetæ pariter ac lex ipsa fabulæ duntaxat forent & mendacia, nisi Christus veritas fuisset. Aliter rursum S. Hippolytus ratiocinatur: non intelligitis, inquit ad incredulos, unde & quomodo formati sitis, & æternam Verbi generationem captu assequi contenditis? Neutiquam curiosa rerum inquisitio, sed animi submissio fideles parit: illi tantummodò fidei patescunt lumina, qui novit intellectum obcæcare; útque obscura sit, coli tamen vel ab ijs meretur, qui non capiunt, quod credunt. Inter reliqua

Mi-

Minutij Felicis argumenta illud videtur fortiſſimum: incredulus, cùm animo fluctuet, déque Religionis veritate perpetuò ambigat, viatoris ſequatur exemplum. Hic in bivio poſitus, quin nôrit, quà procedendum, ſubſiſtit; nec temerè ſemitam deligit, quòd ambas non poſſit ingredi; utra verò ad optatum terminum ducat, adhuc ignoret. Haud ita liberoris vitæ homines, qui cùm alio non nitantur, pravitatis ſuæ fundamento, quàm quòd de Religionis certitudine non conſtet, errores nihilominùs amplectuntur; nec in negotio omnium maximo id poſſunt decernere, quod alioquin leviſſimi in rebus nullius momenti conſuêrunt, nempè in dubio neutram ad partem deflectere, cum prudentia ſuadeat, tutò procedere. Sanctus Cyprianus, Arnobius & Lactantius ejuſdem diſcipulus, Euſebius Cæſarienſis, Cyrillus Alexandrinus ex idolorum vanitate & Paganiſmi mendacijs Religionis noſtræ veritatem demonſtrârunt. Lucubratio Theodoreti de providentia, Libri de civitate DEI à Divo Auguſtino conſcripti ſolidam & doctam fidei Chriſtianæ apologiam continent; nec eruditione duntaxat exquiſitâ, ſed facundiâ quoque præcellunt. Denique omnes ferè Patres ſcientia ſua & Philoſophia uſi ſunt, ut quiſque pro genio Religionem conſtabiliret, quam & vi ſummâ átque ferociâ terreni principes, & pagani Philoſophi toto ingenij conatu, & hæretici maledicentiâ evertere ſunt aggreſſi.

CA-

CAPUT X.

Quid Apologistæ nostri primis & ultimis sæculis scripserint in Religionis defensionem?

UTi verò primi Christi fideles defendendæ contra hostes suos Religioni admodum erant intenti, & majorem gerebant sollicitudinem, ut innocenti sanctâque vita ad martyrium indies subeundum animos compararent, quàm ut mysteria fidei nostræ sub velo sacrarum paginarum recondita, æmulis detegerent: potior illorum pars, qui sub Ecclesiæ initia apologias scripsêre, officio se satisfacturos rebantur, dum vel calumnias à malevolis confictas amolirentur, vel ostenderent fidem mysteriis temerè non haberi, quin, ne res sacras profanare viderentur, si cuncta infidelibus declarâssent, docere abstinuerunt, in quo Religionis cardo denique verteretur. Oportebat nempè tunc temporis homines idololatricis superstitionibus passim imbutos, veræ Religionis dogmata celare, utpote quibus percipiendis idonei non erant. Postquam verò posterioribus sæculis mortalium oculi lucem Evangelicæ veritatis mitiùs tulerunt, tandem congruentiùs visum est Apologistis augustissimorum etiam mysteriorum sanctitatem in vulgus spargere, nec eorundem fulgorem ambiguis ultrò vocibus obtenebrare. Divus Thomas primus Religionem nostram funditùs declarandam suscepit in opere contra gentes inscripto.

Primis

Primis tribus libris demonstrat, à Religione Christiana, nihil tradi, quod lumini nobis ingenito adversaretur. Quarto docet, quòd licet humanum transcendat intellectum, nihil à recta ratione alienum proponat: nec abnui potest, quin opus istud sit veluti fons inexhaustus, ex quo perfecta Religionis nostræ notitia combibi queat. Remondus Sebondinus Hispaniensis Theologus idem argumentum pertractavit, ideâ, uti videtur, ex Divi Thomæ monumentis desumptâ. Sed, quoniam sublimiora etiam fidei mysteria humanis firmare nititur rationibus, Religionem potiùs humanam & naturalem, quàm divinam efficit. Hieronymus Savanarola in Thriumpho crucis collegit, quidquid Patres hoc super argumento nervosiùs scripsêre, quibus ratiocinationem à se conceptam subjungit in hunc sensum: si Religio nostra abludat à vero, Christianus maximum sit monstrum oportet, quippè sanus simul & insanus: sanus quidem ob mores, insanus autem propter fidem & credulitatem. Si intellectum spectes, errore ducitur; rectè sapientérque agit, si voluntatem examines. Quod in animo reprehendas non occurrit; intellectum error obsidet, & verò talis, cui probitas & innocentia ducatum præstet; denique veritatis & mendacij, sanctitatis & vitij mirabile quoddam complexum est. Addit præterea, Christum, nî DEUS sit, sanctissimum pariter & scelestissimum, quem unquam sol aspexerit, comprobari: scelerum enim omnium gravissimum est, divinos, quibus indignissimus sis, honores aucupari. Fierinè queat, ut summa virtus tam enormi copuletur iniquitate? ut homo longè superbissimus se infra omnes abjiciat, clientibus verbô & exemplô ideam, quam cogitari


pos-

possit, nobilitatis suæ humillimam imprimat? ut doctrinam sanctitatis adeò absolutæ, qualis in Evangelio adumbratur, impostor tradiderit? ut Ethica tam sublimis extrema nitatur malitia? Ludovicus Vives in libro De fidei veritate brevi sed bona methodo complexus est, quæ Patres de Religione universim elucubrârunt. Unum ex robustioribus ejusdem argumentis, jam olim à Divo Augustino libro 28. de civitate DEI. Capite 18. commemoratum, petitur ex Prophetia Oseæ de miseranda Judæorum sorte (a) cui eventus responderit. Pertractat id fuisse librô tertiô, quanquam non omni prorsus vigore. Néque enim mens sana aliô magis convincitur, atque Prophetiâ, quæ ante mille ac ampliùs annos facta, post sedecim sæcula nihilominùs ad apicem ubivis verificetur. Marsilius Ficinus cum de Religione differit, Christi Domini divinitatem partim ex Prophetis veteris testamenti, partim ex prodigijs novi, partim ex veritate doctrinæ, quam rudes, nullis affectibus obnoxij, qui neminem deceperint, à nemine vicissim decepti fuerint, citra lucri, censûsque spem tradiderunt, eruere contendit. Methodus Cani admodum ordinata est: sacris paginis, Patribus, Theologis, & graviorum virorum suffragijs ceu basi incumbit. Prætereo commentarios Cardinalium Hozij & Bellarmini, Stapletoni, Medinæ, Sanderi, Suarij, Lessij, Gurdonij & complurium qui Polemicam sunt professi, atque ex inconcussa Ecclesiæ Romanæ firmitate Religionis veritatem probare studuerunt. Quippè, cùm super DEI verbo constru-

(a) Dies multos sedebunt filij Israël, sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine Ephod &c. Oseæ. c. 3.

ſtructa fuiſſet, tot inter Regnorum, imperiorúmque viciſſitudines invicta perſtitit; quin ab ipſis impugnationibus robur accepit, ut tametſi patientia duntaxat & ſubmiſſione tanquam clypeo ſe tueretur, nihiloſeciùs potentes terræ deníque debellârit. Hactenùs dicta ſufficere poſſunt, ut Chriſtianus Philoſophus nôrit, quî tantorum exemplo virorum, quos non niſi ad firmandam Religionem Philoſophiâ uſos intelligit, eandem impendat. Etenim ſi cuncta diſpiciantur, nihil præterea ſolidum ac ſtabile in hac vita occurrit. Fluxa & caduca ſunt omnia, ut adeò *ſapientis ſit veritatem de primo principio meditari* (b); æternitatem præ oculis perpetuò habere; honeſtè rectéque agere, itáque bonum tandem Philoſophum profiteri.


(a) D. Thomas l. 1. contra gent. c. 1.



65

D. T. O. M. A.

Sub Reverendissimo, & Amplissimo
DOMINO, DOMINO
JOSEPHO, HENRICO,
JACOBO BREITENBüCHER.
AA. LL. Phil. & SS. Theol. Doctore,
S. C. R. C. Majestatis Consiliario, Decano,
Kirenbergensi, Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Præposito, Celsissimi, & Reverendissimi S. R. I. Principis, & Episcopi Viennensis in Spiritualibus Vicario Generali, & Officiali; nec non Celeberrimæ, & Antiquissimæ Universitatis ibidem
CANCELLARIO,
Per Admodùm Reverendum Patrem
JOSEPHUM GÖGGER,
è Societate JESU,
AA. LL. Philosophiæ, & SS. Theologiæ Doctorem, ejusdémque in Moralibus Professorem Ordinarium, Inclytæ Facultatis Philosophicæ Decanum spectabilem, ac designatum
PRO-CANCELLARIUM.
Quadraginta septem, Reverendissimi, Illustrissimi, adm. Reverendi, Perillustres, Reverendi, Prænobiles, Nobiles, Eximii, & tam eruditione, quàm virtute conspicui Domini, AA. LL. & Philosophiæ Baccalaurei formati,
In Templo S. Stephani sub Pulsu Campanæ majoris, Anno M. D. CC. XVIII. Mensè Julio, die Horâ octavâ ante-meridianâ Licentia donati sunt.
Deinde verò
R. P. MICHAELEM BONBARDI,
è Societate JESU, AA. LL. & Phil. Doctorem, ejusdémq; Prof. emeritum; nec non p. t.
SENIOREM, & CONSISTORIALEM.
In Aula Academica Cæsarei Soc. JESU Collegii Supremâ Magisterii, & Doctoratûs Philosophici Laureâ condecorati sunt.




NOMINA
PROMOTORUM.

Illustrissimus D. Franciscus Adamus S.R.I. Comes à Goder, S. C. M. Eleonoræ Imperat. Viduæ Ephebus.

Illustrissimus D. Ferdinandus Guilielmus Clemens S. R. I. Comes de Kornfeil, S. C. M. Amaliæ Imperatricis Viduæ Ephebus.

1. Illustriss. D. Franc. Raymundus March. & S.R.I. Co. de Montecuccoli, Aust. Vien. *Defendet univ.*

2. Reverendissi. & Illustrissi. D. Comes Nicolaus Josephus Csáky de Kerefztfzegh, perpetuus terræ Scepusiensis, Abbas B. M. V. de Scepusio, ex Coll. Pazman. *Defendet univ.*
D. Joannes Josephus Lesére, Nob. Austriac. Viennen. è Cæs. Conv. Coll. Alumn. Gobbarianus. *Defendit universam.*



3. R. D. Emericus Vitniezky, Nob. Ung. Zolnensis, ex Comit. Trenchiniensi, Coll. Pazman. Alumnus.
D. Jacobus Antonius Pöck, Austriac. Pollstorffensis, ex Semin. SS. Ignatii & Pancratii, Alumnus Lamormainius. *Defendit universam.*

4. A. R. ac Perilluft. D. Antonius Josephus de Hack, Ung. Eques ac Provinc. nec non exemptæ, ac Lib. Albæ-Regalensis Præposituræ Canonicus, Austriac. Vienn.
D. Joannes Petrus Probst, Confluentinus Trevirensis. *Defendit universam.*

5. R. D. Petrus Pohmajevich, Nob. Segniensis, Coll. Croat. Al. *Defendit universam.*

6. D. Franciscus Lemmel, Austriacus Viennensis.

7. R. D.

7. R. D Andreas Buday, Nob. Ung. Nagy-Lapassiensis, ex Comitatu Nitriensi, Coll. Pazman. Alumn.
8. D. Josephus Selcke, Præn. Austr. Vienn. Fundat. Windhaag. Alum.
9. D. Joannes Bapt. Graff, Civ. Austr. Hornanus, è Cæs. Conv. Coll. *Defendit universam.*
10. R. D. Bartholomæus Trilsamb, Nob. Bohemus Teuto-Reichenav. è Cæs Con. Coll. Alu. Klesselian.
11. D. Antonius Pögl, Prænob. Austriac. Neostad. *Defendit universam.*
12. D. Augustinus Lucam, Civis Austriac. Viennensis. *Defendit universam.*
13. R. D. Ferdinandus Pachmann, Austriacus Viennen. è Cæs. Conv. Coll. S. D. N. Alumn.
14. D. Joannes Georgius Klem, Austriac. Maurbacensis Offic. *Defendit universam.* (dorffensis.
15. D. Joannes Guettenberger, Civ. Austr. Mingen-
16. D. Balthasar Gastager, Nob. Austr. ex S. Hyppol.
17. D. Franciscus Leopoldus Sartory, Civ. Austr. Sizendorffensis, è Cæs. Convict. Coll.
18. D. Josephus Antonius Mair, Præn. Austr. Vienn. è Cæs. Conv. Coll.
19. D. Georgius Dominicus Hechinger, Austriac. Poystorffensis, Fundationis Windhaagianæ Alum.
20. D Franciscus Kirchschlager, Austriac. Viennen.
21. D. Franciscus Seybezberger, Austriacus Vienn.
22. * D. Joannes Eustachius Seybolt, Suev. Gamund.
23. D. Josephus Franciscus Leichamschneider, Austriac. Viennensis.
24. * D. Kilianus Zacher, Bohemus Gralichiensis.
25. D. Paulus Michaël Zwenhoff, Austriac. Vienn.
26. * D. Martinus Köberl, Waldkirch. ex Distri. Passav. è Cæs. Conv. Coll.
27. D. Philippus Strobl, Civis Austr. Asperstorffens.
28. D. Franciscus Forster, Civis Austriac. Styrensis.
29. D. Wolffgangus Theophilus Celzer, Boh. Grünn.
30. D. Joannes Georgius Diener, Palat. Ambergens.
31. D. Stephanus Cucavaz, Venetus Foro-Juliensis ex S. Petro.

E X-

EXTRA ORDINEM.

R. D. Andreas Korompay, Nob. Ung. S.Georgiensis, ex Comit. Poson. SS. Theol. in 3 tium An. Audit. Coll. Pazman. Alumn.

R. ac Relig. D. Christophorus Fuchs, Austriac. Ducumburg. Antiquissi. ac Celeb. Canoniæ Canonic. Regul.S.Aug ad D.Georg.Ducumb. Prof. SS.Theol. in 3.tium An. Audit. è Cæs.Conv. Coll.

D. Franciscus Xaverius Heindl, Aust. Vienn.ex Sem. in. SS.Ig. & Panc. SS. Theol. in 3.An. Auditor.

R. ac Relig. D. Jacobus Lembler, Canon. Reg. S. Aug. Congreg. Lateran. in Celeb. & Antiqu. Canonia ad B.Virg.Tyrnstainii Profes. SS.Theol. in 3. An. Aud.

R. D.Joannes Pichnyai,Nob.Ung.Uifalvensis, exGom. Barsiensi, SS. Theol. in 3.An. Aud Coll. Pazm. Al.

A. R. ac Perillustris D. Petrus Antonius Morelli de Schönfeld, Ital. Gorit. Cathedr. Ecclesi. Segniensis Canon. è Cæs. Conv. Coll. Celsissi. ac Rev. S. R. I. Princ. & Episc. Passav. Al. SS. Theol. in 3. an. Aud.

R. Relig. ac Nobil. D. Richardus Prukmayr, Austr. Vienn. S. & Exempti Ord. Cist Celeberr. Claræ-Vallensis Monast. Zwethalensis Profess. SS. Theol. in 3.tium An. Auditor.

R. Relig. ac Prænob. D. Franciscus Adamus Rausch, Austr. Vienn. Cel. & Antiqu. Canoniæ ad S. Hypp. Profess. SS. Theol. in 2.dum An. Auditor.

R. D. Joannes Stehenics, Nob. Ung. Jaurinensis, SS. Theol in 2.dum An. Aud. Coll. Pazman. Alumn.

R. ac Præn. D. Josephus Sigism. Prunner à Sohnenfeld, Carinthus Clagenfurtensis, è Cæs. Conv. Coll. Celsissi. & Rev. S. R. I. Princ. & Episc. Vienn. Alumn. SS. Theol. in 2. an. Auditor.

D. Josephus Joannes Knitlmayr, Austriac. Viennens. J. U. in 1.mum An. Auditor.

PROBLEMATA IN ACTU DECIDENDA.

I. An ars bellica ortum duxerit ex Philosophia ?

II. An regnum præstet, quod imperiis, an quod aurifodinis valet ?

